PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLVII / FASC. I
15 Martii 1958

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1958

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

Pag.

I - Dissertationes et quaesita varia

II - Monumenta


PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLVII / FASC. I
15 Martii 1958



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1958

IMPRIMI POTEST

Romae, die 15 martii 1958

P. Paulus Muñoz Vega, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 31 martii 1958

† A. Traglia
Archiep. Caesarien. Vic. Ger.



TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE EFFORMANDO IN CLERICIS GENUINO FUNDAMENTO CAELIBATUS SUSCIPIENDI

In Ecclesia Latina « Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arceantur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint ». (can. 132 § 1) Haec obligatio caelibatus non habet tantum partem negativam, quatenus clerici arceantur a nuptiis; potius ista obligatio negativa ordinatur ad positivam, primarie intentam, quatenus sacerdotio natura sua summopere convenit dedicatio integra, indivisa, exclusiva cordis ad Dominum, quae ex se matrimonium excludit. Hinc status caelibatus sensu perfecto consistit in connubio spirituali inter Christum Dominum et hominem, quod connubium de se voto perpetuo constituitur. Immo convenit quod sacerdos repraesentans Christum Dominum communitati sibi tamquam pastori commissae, cui ad mentem Ecclesiae unitur sicuti sponsus sponsae, erga Christum repraesentatum etiam propter hanc repraesentationem habet illam dedicationem integram et indivisam, sine qua cura pa-

storalis auctoritate et nomine Christi Domini exercenda ex parte subiecti caret aliqua perfectione convenienti [1].

I. De polaritate sexuali hominis.

Haec alta, positiva conceptio caelibatus decursu studiorum in clericis efformanda est. Haec formatio inter alia includere debet acquisitam genuinam conceptionem de natura et fine bisexualitatis hominis et virium sexualium — non tantum sub ratione biologica-corporali, sed magis et praesertim *sub ratione spirituali,* i. e. sub ratione perfectionum seu valorum spiritualium hominis — et huic conceptioni correspondentem genuinam habitudinem practicam. Formatio ad caelibatum servandum non debet concipi tantum tamquam educatio ad castitatem servandam vel ad non peccandum contra castitatem. Haec conceptio non tantum insufficiens esset, sed insuper nec vere congruens realitati et veritati, quatenus vires sexuales facile

---

[1] Cf. studia auctoris: *Priestertum, Jungfräulichkeit und Keuschheitsgelübde in ihren theologischen Beziehungen,* Geist und Leben, Würzburg, 1955, 95-104. — *De voto castitatis clericorum saecularium,* Periodica de re morali canonica liturgica 1955, 139-174. — H. Doms, *Vom Sinn de Zölibats,* Verlag Regensberg, Münster 1954. — Virginitatem tamquam statum referri etiam ad viros, non tantum ad mulieres, constat ex Apoc 14,4: « Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt ». Porro: « *Valde honorandus est beatus Joannes, ... cui Christus in Cruce Matrem Virginem virgini commendavit* ». (I. Noct. in festo S. Joannis Apostoli).

mere ut aliquid negativum haberentur. Omnis species manichaeismi non est conceptio genuine christiana [2].

Revera autem bisexualitas hominis opus divinum est finalitatis magni valoris. Ipse Deus creavit hominem « masculum et feminam ». (Gen. 1, 27) Et etiam quoad hoc vidit, quod omnia valde bona erant. (Gen. 1, 31) Ipsum esse humanum igitur habetur aliter in viro, aliter in muliere; totum esse humanum habetur in viro et in muliere simul sumptis. Bonitas divina manifestatur et communicatur etiam in eis quae viro resp. mulieri sunt propria, non modo etiam, sed praesertim quoad qualitates spirituales. Ita viro magis propria est voluntas operandi et aggrediendi res arduas, mutandi conditiones difficiles, audacia, constantia; agitur igitur de talibus qualitatibus, quibus habetur participatio in activitate creandi Dei, creandi etiam et praesertim opera culturae in tota eius latitudine per operationem corporalem-spiritualem. Vir magis determinatur facultatibus rationalibus, mulier magis facultatibus emotionalibus. Et ita mulieri magis propria est non tantum conceptio vitae biologicae, sed omnis vitae corporalis et spiritualis gestio, custodia et cura, necnon exercitium caritatis in multiplicibus eius formis erga egentes, infantes, infirmos etc. Omnia quae vitam reddunt magis ' humanam ', mulieri magis propria sunt. Hoc sen-

---

2 F. X. ARNOLD affirmat etiam historice constare devalutationem virium sexualium originem habere in fontibus non christianis. (Sinnlichkeit und Sexualität im Lichte von Theologie und Seelsorge), Anima, Olten (Helvetia), 1953, 326-338.

su fere omnes perfectiones humanae aliter in viro, aliter in muliere actuantur.

Inde manifestum est virum et mulierem referri ad invicem etiam ratione perfectionum spiritualium; perfectiones utriusque sexus mutuo se supplent; hoc sensu perfectiones magis viro propriae et illae magis mulieri propriae simul sumptae totum esse humanum constituunt. Bisexualitas hominis igitur non coarctatur ad functiones sexuales corporales, sed — ex parte facultatum subiecti [3] — fere *totam vitam* humanam complectitur et 'informat', quatenus polaritatem sexuum constituit, qua vir et mulier ipsa natura ad invicem ordinantur, ut mutua activitate personali propriam insufficientiam suppleant, superent et ita conferant ad bonum personale proprium et aliorum perfectius habendum.

Activitas proprie dicta sexualis ordinatur ad generationem prolis. Immo, matrimonii finis primarius est generatio et educatio prolis; mutuum autem adiutorium coniugum est inter fines matrimonii secundarios, qui fini primario essentialiter sunt subordinati. Revera finis primarius bisexualitatis hominis (generatio et educatio prolis) obtinetur per finem secundarium (mutuum adiuto-

[3] Quoad polaritatem sexuum cf. e. g.: H. Frühauf, *Kind, Frau und Mann*, Grünewald Verlag, Mainz, 1954. — Vires sexuales vere constituunt pro homine fontem biologicum activitatis eius, etiam spiritualis; hoc non ita est intelligendum, ac si activitas spiritualis nihil esset nisi 'sublimatio' sexualitatis (quod omnino est reiiciendum), sed quod in facultates subiecti activitatis spiritualis (quae utique determinatur a respectivo obiecto spirituali) vires sexuales influunt ipsum subiectum (hominem qua unum corporale-spirituale) agens afficientes.

rium), eo quod finis secundarius est medium ad finem primarium obtinendum [4]. Ipsa generatio et educatio prolis in tota eius latitudine considerata constituitur et obtinetur natura sua activitate, qua coniuges sibi invicem perfectionem personalem praestant. Etiam ipsa generatio prolis in se est actio quam maxime *personalis* hominis — sive ex parte viri, sive ex parte mulieris — qua homo directe fit instrumentum potentiae creatricis divinae. Non tantum generatur novus homo, i. e. persona, sed ipse actus generationis modo homini digno tantum ponitur, si est medium et supplementum corporale — congruenter ad esse hominis, quod est spirituale-corporale in unione substantiali — *amoris interni, spiritualis, personalis* coniugum ad invicem. Hinc etiam organa et functiones sexuales corporales — utpote ' informatae ' ab anima spirituali — ordinantur ad bonum humanum spirituale et personale.

---

4 « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae ». (Can. 1013 § 1) Non potest admitti « quorundam recentiorum sententia, qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos ». (*Decretum S. Off.* 1. aprilis 1944, AAS 1944, 103).

Fines secundarii matrimonii tunc tantum vere obtinentur, si coniuges plena fidelitate admittunt finem primarium. Defectus quoad hanc plenam fidelitatem ipsi perfectioni personali coniugum damnum affert, quatenus mutuam caritatem minuit vel etiam destruit, et ita viam praeparat ad divortium. Quod ita conexio stricta habetur inter finem primarium et secundarium matrimonii, experientia quotidiana multoties probatur. Cf. de hoc argumento: W. UMBRICHT, *Einheit der Ehe und Frigidität der Frau*, Anima, 1957, 363-369.

Proinde bisexualitas non est concipienda modo illo coarctato, quo fere reducitur ad differentiam et functiones corporales in se consideratas vel quo consideratur tantum tamquam periculum peccati. Vera conceptio modo exposita realitati et veritati congruens sphaereae sexuali confert characterem *naturaliter sacrum*; omnia quae ad hanc sphaeram pertinent, concipiuntur modo homini digno, quia concipiuntur in luce finalitatis, quam pro homine habent. Immo, quia haec omnia ordinantur ad fines altiores humanos, personales, vere se imponit homini reflectenti et bonum volenti obligatio non abutendi viribus sexualibus corporalibus et inclinationibus spontaneis in personas alterius sexus.

Admissa hac finalitate et polaritate bisexualitatis hominis manifeste sequitur omnibus hominibus multum bonitatis advenire a personis alterius sexus, non tantum in matrimonio! Quantum e. g. filii debent matri et sororibus, quantum filiae patri et fratribus, quantum infirmi sororibus religiosis curam eorum habentibus, quantum fundatrices societatis religiosae sacerdotibus auxilium validum praestantibus in difficultatibus superandis!

II. Applicationes practicae.

a) *Quoad polaritatem sexualem eiusque finalitatem.*

Ante omnia curandum est, ne sphaera sexualis constituat aliquod '*tabu*', i. e. aliquam rem, quae simul et allicit et incutit timorem, ita ut ha-

beatur modo reflexo conatus talem rem tractandi tamquam non exsistentem, et modo spontaneo (saepe subconscio) influxus talis rei in totam vitam internam tamquam '*complexus*', i. e. tamquam difficultas, quae superari nequit seu tamquam impedimentum, cuius natura non perspicitur et hinc removeri non potest, sed continuo obstaculum constituit, ne illa quae vita et munus exigant, libere fiant et peragi possint. Proinde sphaera sexualis non debet considerari tantum in se, soluta ab aliis partibus vitae humanae, sed in sua *conexione naturali et finali* cum ipsis, cum toto, quatenus influit in alias sphaeras vitae humanae, cum quibus totalitatem efformat, scilicet illud totum hominis corporale-spirituale in unione substantiali. Quo magis finalitas et momentum virium sexualium pro fere tota vita humana prae oculis habetur, seu quo magis sexualitas concipitur tamquam polaritas sexuum etiam et quam maxime sub ratione spirituali, eo magis homo affirmat hoc bonum sibi a Deo datum et laudat creatorem ob hoc opus sapientiae divinae; eo minus — ceteris paribus — sphaera sexualis constituit periculum peccati, quia non iam consideratur exclusive sub ratione corporali, quae unum tantum est elementum, in polaritate sexuum contentum, sed tamquam qualitas positiva fere totum esse humanum afficiens.

Homo totus quantus a Deo creatus est, totus quantus est bonus. Et vidit Deus, quod « erant valde bona ». (Gen. 1, 31) Hinc etiam vires sexuales a Deo sunt, in se constituunt *bonum et perfectionem* hominis. Utique hae vires tunc tantum cedunt in perfectionem personalem hominis, si rationi

manent subordinatae; sin minus, hominem facile perducunt ad ruinam. Sine dubio enim peccatum etiam tales vires affecit. Sed peccatum, quia naturam humanam malam non reddidit, nec vires sexuales ipsas malas fecit. Etiam in hac sphaera vitae humanae peccatum causavit deordinationem, quatenus hae vires non iam sunt sub dominatione hominis, quatenus obiectum proprium appetunt non sub ductu rationis, et ita hominem ad peccatum inclinant [5].

Hinc utique omnino requiritur *dominatio* virium sexualium, sicuti de cetero omnium virium naturalium hominis. Attamen haec dominatio, vel potius educatio suiipsius ad hanc dominationem, non tantum non excludit, sed positive supponit, ut homo admittat vires sexuales nec miretur de manifestationibus earum, quae debentur causis sive

---

[5] « Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum (Rom. 6, 12ss) appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse, peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia *ex peccato est et ad peccatum inclinat* ». Antea dicitur: « In renatis enim nihil odit Deus ». *Concilium Tridentinum,* Sess. V. de pecc. orig. (Denzinger nr. 792).

Hinc secundum theologos vel ipsum donum integritatis proprium statui originalis iustitiae non habetur eo, quod homo carebat viribus et inclinationibus sexualibus, sed eo, quod istae erant sub dominio rationis. Cf. S. Th. I q. 98 art. II corp. et ad 3. SUAREZ (Tractatus de gratia Dei, prolegomenon IV de statibus humanae naturae, cap. II, 3) haec habet: « Praeter hunc statum, consideratur in homine alius, in quo, ultra *omnes* naturales facultates, habeat homo quamdam specialem perfectionem, quae consistit in carentia fomitis et effraenatae concupiscentiae, seu in perfecta *subiectione* appetitus sentientis ad rationalem, ita ut inferior appetitus contra superiorem moveri, aut rationem praevenire non permittatur ».

in ipso positis, sive obiectis externis. Tales vires in se constituunt bonum seu perfectionem homini necessariam, qua deficiente vir vere est vir debilis etiam quoad alias qualitates humanas [6]. Hinc tales vires magni sunt momenti non tantum pro genere humano, sed etiam pro unoquoque homine, qua-

---

[6] Dominatio virium sexualium non est confundenda cum earum debilitate; illa est perfectio, ista est defectus. Interdum Sanctis ascribitur donum non iam sentiendi vires sexuales; tale donum Dei necessario habendum est perfecta dominatio, nullo modo debilitas. Attamen de facto hic etiam occurrunt exaggerationes. Ita e. g. St. Ignatio de Loyola interdum ascribitur donum non iam sentiendi vires sexuales. Textus autem, quo tale assertum fundatur, non agit de manifestatione naturali harum virium, sed potius de *consensu*: « Ab ea vero hora usque ad illud tempus ... ne minimum unquam quidem *consensum* libidini adhibuit ». (*Acta Patris Ignatii, Fontes Narrativi de S. Ignatio de Loyola,* vol. I, 375 s. *Monumenta Ignatiana,* Romae 1943).

Donum Dei natura sua est extraordinarium; non potest homo aspirare ad illud habendum, quia ad perfectionem christianam non pertinet. Modus, quo interdum est sermo de ' angelica puritate ' vel de ' virtute angelica ', haec non semper satis attendit, ita ut facile etiam confundatur hoc donum cum debilitate sexuali. Neque ' angelica puritas ', de qua est sermo in Constitutionibus Societatis Jesu (quarum auctor est St. Ignatius) intelligenda est de dono Dei speciali, extraordinario. Potius intelligitur hic de libertate interna, qua homo non impeditur inclinationibus naturae, quominus semper paratus sit ad implendam voluntatem divinam. Forte ob hanc rationem sermo est de hac virtute tamquam supposito pro perfecta obedientia: « Quoniam quae ad votum castitatis pertinent interpretatione non indigent, cum constet quam sit perfecte observanda, nempe enitendo angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia; his suppositis, de sancta obedientia dicetur ». (Pars sexta, cap. I.) Sensus igitur esset: Sicuti angeli semper parati sunt ad implendam voluntatem divinam, ita debemus dominari inclinationibus naturae, ut semper possimus implere voluntatem Dei, qualis nobis fit per obedientiam. De cetero notanda est brevitas, qua hic sermo est de voto castitatis.

tenus ordinantur ad altiores fines humanos. Quivis debet habere conscientiam securam *assensum naturae* non esse confundendum cum *consensu voluntatis,* assensum naturae de se nihil mali continere, immo esse signum naturae sanae, normalis, non debilis — peccatum autem esse tantum in consensu voluntatis. Actuatio libera talium virium extra matrimonium est illicita; attamen non est idem: non actuare libere et non sentire tales vires; actuare libere est peccatum, sentire nihil peccati de se habet. Nonne in ipsa Sacra Scriptura ubique de hac sphaera est sermo modo aperto, simplici? Nihil hic habetur devalutationis et habitudinis 'complexus' erga hanc sphaeram; quinimmo ipse amor sexualis tamquam imago proponitur amoris inter Deum et hominem!

Efferenda igitur est propria structura et finalitas virium sexualium corporalium, quae ordinantur ad generationem et ad amorem personalem modo humano exprimendum inter homines sexus diversi. Illi, qui vere profunde intellexerit omnem actuationem virium sexualium natura sua esse ordinatam ad generationem prolis, hanc autem actuationem, quatenus libere ab homine ponitur, medium esse exprimendi amorem internum, personalem, se imponit principium omnem actuationem liberam harum virium extra matrimonium homini esse *indignam* et necessario prohibitam. Immediate autem etiam concipitur actuationem ab ipsa natura causatam, respective causatam per activitatem non-sexualem necessario aut rationabiliter positam in vita personali aut sociali — praesertim fungendo muneribus officii proprii etc. — nihil habere

culpae moralis. Quantum talis modus rem considerandi iuvat ad libertatem internam efformandam, et ita ad maiorem dedicationem erga Deum habendam, experientia quotidiana constat; etiam hic verificatur, quod « veritas liberabit vos ». (Jo 8, 32).

Inde autem sequitur, quod instructiones hac de re habendae convenienter non simpliciter assimilantur lectionibus theologiae moralis. Nequidem videtur conveniens in lectionibus theologiae moralis et pastoralis modus proponendi doctrinam tantum sub ratione peccati et periculi peccati. Multo minus hoc convenit in instructionibus de structura et finalitate sexualitatis. Haec structura et finalitas proponatur in se secundum varias eius rationes. Inde elucet opportunam esse etiam praetermissionem *terminologiae* theologiae morali propriae, qua res in se non apparent, sed omnes propositiones facile admittunt indolem exhortationis asceticae non peccandi contra castitatem. Terminologia potius sit indifferens; sit talis, ut rem proponat secundum propriam rationem, e. g. sub ratione physiologiae, psychologiae etc., non autem sub ratione tentationis, delectationis malae, causae influentis in delectationem malam etc. Hinc sit simpliciter sermo de irritatione sexualitatis, de obiectis actuationem sexualitatis causantibus, de actuatione sexualitatis ipsa natura causata etc.

Mentione certo non indiget negandum non esse sphaeram sexualem pro homine constituere etiam periculum peccati. Neque ullum dubium esse potest, quod de hoc periculo et de modo illud superandi sermo esse debet suo tempore et loco. Non autem est genuina habitudo videndi ubique tan-

tum pericula peccandi. Neque verum est quamlibet irritationem virium sexualium necessario constituere tentationem proprie dictam; potius modo genuino procedendi pericula peccati et ipsa peccata minuuntur, non autem augentur. Tota vita publica hodierna est plena stimulis, qui sexualitatem irritare possunt. Plena hebetudo et insensibilitas erga tales stimulos sine dubio non est perfectio, sed potius defectus, qui maiora pericula causare potest. Altera ex parte fuga continua est impossibilis et insuper facile causat talem hyperaesthesiam, ut stimuli acquirant vim nimis fortem et super-normalem.

Praesertim erga corpus proprium habitudo timoris et anxietatis non est fundata. Potius proprium corpus habeatur artificium divinum, cui reverentia debetur, non autem ullus timor. Distinctio partium corporis in honestas et inhonestas feliciter magis magisque relinquitur in favorem terminologiae magis indifferentis. Deus enim non creavit partes de se inhonestas; quod sunt partes, quibus homines saepe abutuntur, ipsas non reddit inhonestas de se. Habitudo considerandi proprium corpus fere exclusive tamquam periculum peccandi proprie difficultates creare potest, quae practice non habentur in eis, qui solent procedere disciplina quidem suiipsius, sed de cetero modo ingenuo et simplici [7].

[7] Mutatis mutandis similia dicenda videntur de modo instituendi e. g. gymnasticam et balnea plurium una simul. Verum est

b) *Quoad habitudinem erga alterum sexum.*

Factum hominem creatum esse bisexualem imprimis exigit, ut quivis sit tota sua habitudine et activitate vere vir respective mulier; omnis species hermaphroditismi — non tantum physiologici — est defectus. Attamen polaritas sexuum natura et fine suo hominibus auxilium praestat ad perfectiones humanas spirituales evolvendas ita, ut veram *harmoniam* constituant. Non tantum habentur perfectiones humanae magis propriae viro respective mulieri, sed fere omnes perfectiones humanae accipiunt ex parte subiecti specialem indolem per respectivum sexum. Si talis indoles exclusive adest, perfectio humana facile per exaggerationem fit defectus: Vir, qui exclusive determinatur ratione et voluntate, quin etiam cor suas partes habeat, mulier, quae clausa est omni argumentationi rationis et expers omni firmitate voluntatis, laborat defectu aequilibrii necessarii. Ut *aequilibrium* servetur et perficiatur, qualitates spirituales proprii sexus per illas alterius sexus mitigan-

in hac parte etiam attendendam esse differentiam inter varias regiones. Attamen modus quo talia fieri solent a iuvenibus honestis talis regionis plerumque non habeatur inconveniens pro alumnis, multo minus generatim habeatur offendens reverentiam mutuo sibi debitam. Si ipsa conceptio fundamentalis est genuina, et ita haec omnia in vera eorum finalitate considerantur, reverentia ut plurimum de se habetur. E contra quod in exercitiis gymnasticis peragendis alumnis non permittitur deponere vestem talarem ex eo, quod sine ipsa se conspicientes favor haberetur sensualitatis, videtur esse nimis rigorosum. Potius tali modo considerandi rem creari possunt difficultates, quas iuvenes bonae voluntatis (tales debent praesumi futuri sacerdotes) non habent, quatenus modus simplex procedendi, quem antea tenebant, problematicus redditur.

dae, moderandae, complendae sunt; secus etiam qualitates utrique sexui propriae damnum patiuntur. Nonne sanctos admiramus ob harmoniam et aequilibrium, quo omnes virtutes possident? Ita e. g. ab omnibus recognoscitur St. Ignatium de Loyola praeditum fuisse virtutibus vere virilibus, fortitudine, firmitate, constantia etc., et tamen omnes eius contemporanei admittunt caritatem eius habuisse qualitates etiam caritatis maternae. Pari modo de pluribus fundatricibus congregationum religiosarum modernarum refertur eas caritatem maternam erga filias coniunxisse cum activitate externa et firmitate extraordinaria in superandis difficultatibus ad proprium institutum consolidandum.

Quae cum ita sint, recognoscendae sunt qualitates alterius sexus, spirituales et corporales, tamquam bona in se, quia creata et volita sunt a Deo, tamquam bona ad altiores fines ordinata. Quod tales qualitates — vel potius personae ob tales qualitates — placent, movent, de se nihil mali habet: A. v. ipsa tendentia ad alterum sexum est naturalis, est reactio spontanea naturae ad polaritatem alterius sexus, ad 'complementabilitatem' ex parte alterius sexus. Proinde haec tendentia in se non est 'supprimenda', quod de cetero fieri nequit in homine sano, quin aequilibrium disturbetur. Utique in hac parte dominatio inclinationum est absolute necessaria. Sed quomodo alumni hanc dominationem addiscere possunt, si fere omnis *contactus cum vita ordinaria* ipsis per annos impeditur? Revera, si ita proceditur, habetur periculum, quod neo-sacerdos, post tempus nimis strictae separa-

tionis a vita ordinaria, missus ad curam pastoralem agendam — et quoad vitam privatam sibi soli relictus — per contactum cum vita ordinaria ita afficitur, ut bisexualitas hominis ipsi quasi in nova luce appareat, ut insuper principia, quae vitam tempore studiorum determinarunt, tamquam non applicabilia reiiciantur [8].

Hinc ipso tempore studiorum genuina habitudo erga alterum sexum addiscenda est; certo non eo, quod relationes cum personis alterius sexus habentur, sed eo, quod contactus cum vita ordinaria non nimis excluditur, e. g. eo, quod excluduntur feriae, quae in familia peraguntur: sicuti tales feriae nimis longae, ita etiam nimis breves esse possunt. Quod alumni tempore feriarum vocationem non

[8] In tali casu facile oritur vera crisis interna; et iam minus malum habendum est, si crisis non progreditur usque ad apostasiam a sacerdotio et forte etiam a fide, quae vere saepius ita explicatur, praesertim quando agitur de sacerdotibus, qui ab omnibus semper habebantur omni exceptione maiores, de quibus nemo talem finem praevidit. Negari non posse videtur conresponsabilitatem horum malorum saltem obiective etiam illos tenere, qui alumnis tempore studiorum conceptionem et habitudinem genuinam erga vires sexuales et alterum sexum non docebant, qui liberum recessum a statu clericali et ita viam ad matrimonium praecludebant cum minationibus de poenis inferni subeundis pro 'vocatione' non secuta. In recenti aliqua communicatione S. Congr. de Sacramentis ad locorum Ordinarios de scrutinio alumnorum peragendo priusquam ad ordines promoveantur, dicitur: « Adsunt etiam qui declarent se ad Ordines fuisse adductos periculo amittendi salutem aeternam et incurrendi inferni paenas per Moderatores sibi adustiore colore depictas, si clericali statui valedixissent ... Sacerdotes isti hisce similibusque freti rationibus, culpam suae ordinationis in Institutorum Moderatores refundere nituntur, quasi se requisitis conditionibus carentes ad sacerdotium admiserint vel compulerint ».

exponunt periculis, quae vires proprias superant, pertinet ad disciplinam suiipsius, circa quam instruendi et dirigendi sunt cum appellatione ad propriam *responsabilitatem personalem.* Sine dubio requiritur etiam prudens vigilantia sub hoc respectu. Attamen vigilantia, cui non est coniuncta *fiducia,* potius destruit quam aedificat, quatenus cessante vigilantia post absoluta studia conscientia propriae responsabilitatis personalis evoluta non est et tunc motu proprio non evitantur vera pericula. Hoc sensu tempore studiorum alumni *pericula communia* possunt et debent experiri, ne sacerdotes facti succumbant periculis fere quotidianis, et praesertim, ut addiscant peragere modo sacerdoti digno omnia quae vita ordinaria et munus pastorale exigit, quin habitudine non genuina assumpta erga alterum sexum continuo impediantur [9].

---

[9] Etiam ad hanc quaestionem referenda sunt verba Adhortationis Apostolicae Pii XII. f. r. Menti Nostrae: « Ubi vero iuvenes — qui praesertim a teneris in sacra Seminaria fuerint recepti — in locis educentur ab hominum societate paulo nimium seiunctis, ii profecto, cum in publicum prodibunt, haud ex facili sive cum minuta plebe sive cum litteratis hominibus commercium habebunt, fietque eis plurimum, ut aut inconsiderate cum christiano populo se gerant, aut, quam acceperint institutionem, secus existiment. Opera idcirco danda est, ut alumni sensim prudenterque in intima populi consilia ac studia penetrent, ne, sacerdotio aliquando initiati sacrisque addicti muneribus, suae incerti sint actionis; quod non tantum ipsorum perturbaret animos, sed eorum etiam sacerdotales labores minueret ». (AAS 1950, 686 s.).

Huc etiam spectant verba e communicatione S. Congr. de Sacr.: « Quoad probationem virtutis castitatis in seminariorum alumnis istud habeatur generale principium: alumnum castum ac purum bene posse exstare si physice et psychice normalis sit; ideoque talis ut respondere queat divinae gratiae vocationis cum

Certo certius possunt haberi etiam alumni, qui fiducia sibi data abutuntur. Illos autem nec vigilantia exercitata nec separatio a vita ordinaria nec alia similia impedient, ne ordines suscipiant, praecise quia deficit sensus responsabilitatis personalis, sine quo tandem aliquando omnia haec sunt inefficacia. Si autem aliquis responsabilitatis personalis conscius tempestive cognoscit se veram vocationem non habere et ita sponte renuntiat ordinibus suscipiendis, eo melius! Certo certius ita minuitur numerus eorum, qui sacerdotes facti vocationem deserunt, quia illi, qui plene conscii arduitatis viae quam ingressuri sunt, hanc viam ingrediuntur, ceteris paribus magis firmi erunt.

Nonne autem status caelibatus clericorum exigit, ut ipsi omnem tendentiam naturalem erga alterum sexum abnegent? Quod attinet ipsam tendentiam naturalem huic quaestioni clare respondendum est: negative. Status caelibatus seu potius status virginitatis consistit in *amore indiviso* et exclusivo, in oblatione ac *dedicatione integra* suiipsius ad Dominum. Ita homo renuntiat perfectioni naturali, quam in matrimonio per coniugem habere possit. Perfectionem suam a Domino exspectat, cui se tradit oblatione ac dedicatione integra.

---

plenitudine virium suarum in ordine physico et psychico: ut paucis dicam, candidatus ad ordines necessario indiget sanitate animi et corporis ... ». « Exploratio vocationis peragatur iuxta regulas a probatis Auctoribus in theologia morali, ascetica et mystica traditas; et ratio habeatur, servatis debitis cautionibus, de conclusionibus, quae ad rem faciunt, ad quas devenerunt psychiatriae et biologiae scientifica studia huius nostri temporis, dummodo prorsus sint putido materialismo immunia ».

Attamen unio cum Deo in hac vita habetur in fide; hinc suscepta virginitate manet in homine tendentia naturae in perfectionem naturalem habendam per amorem coniugalem, manet tendentia naturalis in proprios filios et propriam familiam. Immo, virginitas proprie in eo consistit, quod homo, quamvis tendentiam naturalem in amorem coniugalem, proprios filios et propriam familiam sentiat sicuti quivis homo normalis, renuntiat actuationi huius tendentiae naturalis propter Deum. Abnegatio igitur refertur ad *actuationem* tendentiae naturalis erga alterum sexum; haec abnegatio revera oportet, ut integra sit. Hoc proprie constituit *sacrificium perpetuum,* quod ad statum virginitatis pertinet natura sua. Abnegare autem ipsam talem tendentiam nequidem perfectio est, sed potius defectus.

c) *Quoad electionem status caelibatus.*

Cum tendentia in alterum sexum sit naturalis et fortis, ut secundum communiter contingentia hominem perducat ad matrimonium, oportet, ut futuri sacerdotes statum virginitatis plena et matura *deliberatione* suscipiant. Proinde non tantum in abstracto matrimonium tamquam bonum agnoscere debent, sed matrimonium posse etiam *ipsis* veram perfectionem praebere sibi persuasum habeant. Vera deliberatio de statu virginitatis suscipiendo autem non habetur, si practice et in concreto iudicium de matrimonio tamquam bono sibi convenienti non habetur, si vera electio status non habetur, quia a limine excluditur omnis experientia ten-

dentiae naturalis ad alterum sexum. Negari non posse videtur electionem status virginitatis maiore cum claritate et maiore dedicatione personali fieri posse, si tale iudicium in tali experientia fundatum habetur. Abstrahendo a facto ipsa vita comprobato quod deficiente tali vera et libera deliberatione in tali experientia fundata decursu vitae haec experientia hac vel illa forma facile se imponet, et tunc cum maiore periculo sustineri debet, virginitas praecise exigit renuntiationem matrimonii, quod tamquam bonum magni valoris etiam sibi convenienti recognoscitur et affirmatur, propter bonum maioris valoris, scl. amoris integri ad Dominum, quo homo libere respondet vocationi divinae.

Hinc plene sibi conscius esse debet alumnus agi de re ardua et difficili, de sacrificio pro tota vita, se esse *plene liberum* usque ad ordines maiores, se non peccare, quando virginitatem — utpote de consilio, non de praecepto — sibi nimis difficilem habet. Si ita deliberato consilio sacrificium affirmatur et suscipitur, ceteris paribus multum minuitur periculum, quod sacerdos decursu vitae sub influxu experientiae difficultatibus succumbat. In difficultatibus exsurgentibus, quae vere fortem tentationem creant, quam maximi momenti est, ut sacerdos habeat *conscientiam se non ignorasse sacrificium* perpetuum esse, se deliberato consilio et plena libertate viam virginitatis elegisse, se nunc debere fideliter stare obligationi susceptae [10]. Si autem alumni non

---

10 Inde magni momenti est susceptionem status caelibatus fieri per votum, quod qua tale est manifestatio libertatis, qua hic

instruuntur de valore matrimonii pro homine, si fere de consulto ipsis celatur sacrificium proprium et perpetuum virginitatis — quod tunc tantum habet valorem coram Deo, si vere libere praestatur — facile postea conqueruntur se ignorasse momentum obligationis susceptae, se fuisse quasi deceptos circa statum suscipiendum, se libere sacrificium ignoratum non admisisse, quia conscientiam eius non habuerint [11].

d) *Quoad relationes cum personis alterius sexus.*

Tali modo firmari et consolidari potest virginitas suscipienda respective suscepta, i. e. amor integer, indivisus et exclusivus cordis erga Dominum, qui utique excludit *relationes familiaritatis* cum personis alterius sexus, in specie *amicitiam familiarem*. Talis amicitia hodie saepius tamquam conveniens defenditur et commendatur hac ratione, quod caelibatus quidem exigit abstinentiam a matrimonio et consequenter ab illis actibus, qui matrimonio reservantur, non autem exigeret caelibatus abstinentiam ab amicitia cum persona alterius sexus et ab illis actibus, quibus amici communiter utuntur [12]. Proinde, concluditur, non est ratio,

---

status suscipitur; si hoc votum fit sub influxu gravis metus, ipso iure est nullum. Cf. supra notam 1.

[11] In memorata communicatione S. Congr. de Sacr. dicitur: « Evenit ideo ut, congruenti ad rem institutione utili tempore non comparata, in actu S. Ordinationis haud sufficienti pollerent conscientia officiorum, quae sacerdotalis conditio secumfert, et periculorum exercitium sacri ministerii attinentium ».

[12] Cf. Jos. Miller, *Freundschaft zwischen Priester und Frau?*,

quod clericus vel sacerdos se privat illis bonis, quae sibi pervenire possunt ab amicitia cum persona alterius sexus, immo talia bona ipsi veram perfectionem praebent et mala impediunt.

Vere concedendum est non esse confundendam amicitiam in se, natura sua, cum amore specifice sexuali, qui inter coniuges habetur. Attamen amicitia, de qua hic agitur, in concreto est *via naturalis* ad amorem specifice sexualem; ipsa natura humana ad amorem sexualem tendit, immo secundum communiter contingentia natura hominem per talem amicitiam ad amorem sexualem perducit. Inde dici debet talem amicitiam, etsi theoretice possibilis est, *practice secundum communiter contingentia* non esse possibilem; a. v. talis amicitia practice generatim non manebit mera amicitia, sed facile progredetur ad amorem sexualem, praesertim, quia non agitur de amicitia instituta ob communes fines ratione sexus indifferentes (fines scientifici, technici etc.), sed agitur hic de amicitia, qua *mulier qua mulier quaeritur*.

Notamus tamen nos non dicere quaerere mulierem qua mulierem iam constituere in se, natura sua, malum vitandum; neque negamus talem intentionem versari posse circa personam alterius sexus tamquam subiectum perfectionum, quibus propria imperfectio suppletur ratione polaritatis se-

---

Anima, 1957, 244 ss., qui talem amicitiam non admittendam habet. E contra F. E. von Gagern, *Die Angst des Priesters vor der Frau,* (Lebendige Seelsorge, Freiburg i. B., 1955, 106-118) magis ei favet, etsi non sine reservatione. Illa quae ab auctore in hoc studio exponuntur, omnino merentur attentionem, attamen sententiam eius quoad talem amicitiam admittere non possumus.

xualis naturae humanae. Dicimus tamen non posse negari secundum communiter contingentia talem amicitiam familiarem natura sua facile — et non per accidens — perducere ad talem irritationem sphaerae stricte sexualis, qualis constituit verum periculum obligationis susceptae; immo putamus talem amicitiam non esse compatibilem cum virginitate sensu perfecto intellecta. Talis enim amicitia natura duce (forte contra voluntateem) tendit ad amorem sexualem, quo homo totus se tradit alteri parti (scl. in matrimonio), tendit ad illum amorem, qui praecise amore integro, indiviso, in quo consistit virginitas, excluditur.

Assertum talem amicitiam non obstare obligationi caelibatus, dummodo non fiant actus matrimonio reservati, admitti consequentur nullo modo potest. Cum *essentiale virginitatis* sit amor et dedicatio integra interna, cordis ad Dominum, talis amicitia constituit — aut saltem est in periculo proximo constituendi — divisionem amoris Domino exclusive debiti; hinc per ipsam talem amicitiam iam detrimentum ponitur virginitati sensu perfecto conceptae, non demum per peccata contra castitatem. Sacrificium, quod clericus assumendo statum virginitatis suscipit, includit praecise renuntiationem talis familiaris amicitiae cum persona alterius sexus. Non igitur negamus talem amicitiam bona praebere posse de se, sed putamus sacerdotem cum virginitate praecise *renuntiare* voluntati acquirendi suam perfectionem *hac via*; sub respectu huius amoris personalis sacerdos perfectionem suam a Domino exspectat. De cetero sacerdos sub hoc respectu non vere renun-

tians vix pervenit ad illam *libertatem internam*, qua quidem non insensibilis, sed interne solutus erga personas alterius sexus se habet, quia, sicuti hic nihil timet, etiam nihil exspectat.

Certo, uti iam dictum est, etiam et praesertim sacerdos tenetur aspirare ad *harmoniam et aequilibrium qualitatum*, ne 'imperfectus' maneat[13].

---

[13] Cf. HUB. THURN S. J., *Animus et Anima*. Von der Pflege und Formung des Gegengeschlechtlichen im Menschen, Geist und Leben, 1953, 44-53. Momentum, quod habet indoles specifica mulieris pro virtute religionis hominis, pro eius dedicatione ad Deum, effertur a Gertrud von LE FORT (Die ewige Frau, Kösel Verlag, München, 1953, ed. 16): « Das Passiv-Empfangende des Weiblichen, in dem die antike Philosophie das rein Negative sah, erscheint in der christlichen Gnadenordnung als das Positiv-Entscheidende: das marianische Dogma bedeutet, auf eine kurze Formel gebracht, die Lehre von der Mitwirkung der Kreatur bei der Erlösung. Das 'fiat' der Jungfrau ist also das Offenbarwerden des Eigentlich-Religiösen. Indem es zugleich — eben als Hingebung — das Offenbarwerden des Eigentlich-Weiblichen ist, wird dieses zum Offenbarwerden des Religiösen im Menschen überhaupt ... Es ist daher tief verständlich, wenn die erstaunlichsten Leistungen, welche Frauen vollbrachten, an die Sphäre des Religiösen gebunden waren. Die heilige Caterina von Siena empfing die Aufgabe, den Papst von Avignon nach Rom zurückzuführen, und erfüllte sie; die heilige Johanna empfing sogar die Fahne der Feldschlacht. Aber gerade von solchen ausserordentlichen Aufträgen gilt in höchstem Masse, dass die Frau sie nur bräutlich, d. h. unter dem Schleier, empfängt. Der Schleier ist geradezu der Ausweis jeder grossen weiblichen Sendung. Daher ist auch die heilige Caterina beim Einzug des Papstes in Rom nicht anwesend; die heilige Johanna aber empfing ihren Schleier in den Flammen des Scheiterhaufens.

Vom Motiv des Schleiers her eignet der Frau vor allem das Unscheinbare: alles, was unter die Bezirke der Liebe, der Güte, des Erbarmens, des Pflegens und Behütens gehört, also das eigentlich Verborgene und zumeist Verratene auf Erden ...

Der eigentliche Sündenfall begibt sich demnach in der religiösen Sphäre, deshalb bedeutet er im Tiefsten den Abfall der

Sed via ‘ ordinaria ’ ad hunc finem (quae de se est matrimonium) ipsi non patet. Neque negandum est sub hoc respectu vitam caelibatus continere periculum, quod vitia se evolvunt (avaritiae, cupiditas dominandi etc.), quae etiam (certo autem non unice) explicantur ex defectu influxus alterius sexus. Ubi autem de cetero habitudo genuina erga alterum sexum habetur, ipsa vita ordinaria multum confert ad talia vitia praecavenda; et praesertim ipsa *familiaris consuetudo vitae cum Domino,* vera vita spirituali semper fovenda, cor caritate activa erga omnes fideles implere debet.

Ad probandam convenientiam amicitiae sacerdotis cum muliere etiam referuntur exempla amicitiae *ex vita sanctorum.* Iamvero haec exempla non videntur esse ad rem. Non agitur in hisce casibus de amicitia qua mulier qua mulier quaeritur. Potius habetur *finis obiectivus,* qui communi activitate illorum attingendus fuit; e. g. agebatur de constitutione aut reformatione ordinis religiosi. Talis finis exigit communem activitatem et ita creat relationes personales fine obiectivo determinatas, in quas utique necessario etiam influit indoles propria utriusque sexus, quin habeantur relationes amicitiae familiaris (de qua supra sermo fuit). Neque negari debet haberi posse talem amicitiam fine obiectivo determinatam, cuius vinculum obiectivum ipse amor utriusque erga Deum consti-

---

Frau; er bedeutet ihn, nicht weil Eva den Apfel zuerst nahm, sondern weil sie ihn als Frau nahm. Die Schöpfung ist in ihrer weiblichen Substanz gefallen, denn sie fiel im Religiösen; darum schreibt die Bibel mit Recht Eva und nicht Adam die grössere Schuld zu ». (15-20.).

tuit. Sinceritas in hac re omnino applicanda exigit, ne ponantur tales relationes obiective fundatae in una linea cum amicitia hodie in quaestione. Etiamsi demonstrari posset in hisce casibus non semper finem obiectivum vinculum amicitiae constituisse, verum manet nos non esse sanctos, quod in *hac* quaestione est vere decisivum.

Talia exempla ex vita sanctorum tantum probant — et hoc vere probant — omnia illa fieri posse, quae exigit sacerdotis munus, cura pastoralis, caritas etc. Si ad talem activitatem ‘ obiectivam ’ rite exercendam e. g. cooperatio mulierum conveniens est, de se non est ratio illam declinandi, quia fundamentum et finem obiectivum habet [14]. Sine dubio opus est continua vigilantia et disciplina suiipsius, ne oriantur relationes mere subiective determinatae. Character obiectivus autem eo facilius servatur, quo alumni tempore studiorum genuinam habitudinem erga alterum sexum acquisiverunt, liberam ab omni modo coacto se gerendi et tamen plenam moderatione et dominatione propria.

---

[14] Ita e. g. St. Ignatius de Loyola, quamvis ultimis vitae annis constanti firmitate recusaverit admittere pro se aut pro suo ordine curam ordinariam mulierum, etiam religiosarum, tamen frequenter auxilium spirituale mulieribus praestavit in singularibus casibus, et magis adhuc auxilium mulierum petivit quoad opera apostolatus et caritatis exercenda. Vide quoad hoc: HUGO RAHNER S. I., *Ignatius von Loyola.* Briefwechsel mit Frauen. Verlag Herder Freiburg, 1956. Hoc opus praebet exemplum et argumentum praeclarissimum asserti in textu supra enuntiati.

Conclusio

Polaritas, quam constituit differentia hominis quoad sexum, ab ipsa natura ordinatur ad *paternitatem et maternitatem*. Ut haec maturitas quoad sexum vere constituat perfectionem humanam, etiam qualitates spirituales, praesertim caritatem, comprehendere debet. Quis autem est magis vocatus a Deo ad paternitatem spiritualem, supernaturalem actuandam erga homines quam sacerdos Christi? Haec paternitas spiritualis vere est donum Dei, donum gratiae, quod tamen supponit et perficit paternitatem, ad quam natura tendit. Donum Dei oratione impetrandum est, quod Deus non denegat vere et sincere quantum est in ipsis cooperantibus. Sacerdos maturus qualitatibus humanis et supernaturalibus vere est *fidelium spiritualis pater*.

Wilhelmus Bertrams S. I.

VICARIATUS
URBIS TRIBUNAL APPELLATIONIS

Ponente, R. Bidagor S. I.

SENTENTIA DIEI 13 DECEMBRIS 1957

(De exclusione boni prolis)

In iure

3. Matrimonium accusatum est nullitatis ex duplici capite: *a*) intentionis contra bonum prolis et *b*) intentionis contra bonum sacramenti seu indissolubilitatis. Quae intentiones, si probatae, ex communi doctrina quae in canone 1086 § 2 innititur, invalidum reddunt matrimonium. Intentio contra bonum prolis exclusionem significat iuridicae obligationis actus ponendi per se aptos ad prolis generationem. Cum procreatio prolis sit finis primarius matrimonii, nemo ab eo illam obligationem iuridicam excludere potest, quin ipsum matrimonium inficiat. Indissolubilitas matrimonii est eiusdem proprietas essentialis; unde qui matrimonium intendit contrahere dissolubile nullum matrimonium intendit, quia illud non est nisi indissolubile sit.

4. Adsuescimus hodie forsitan haud considerare quantum sit odiosum et iniuriosum legi Dei et Ecclesiae, illius custodis, ad nuptias coram Ecclesia celebrandas accedere cum talibus intentioni-

bus. Unde ius non potest non praesumere, matrimonium celebrantes recta intentione contractum inire. At Ecclesia noluit illam esse praesumptionem iuris et de iure, sed simpliciter iuris tantum, contra quam, pia mater, probationem admittit, non quidem ut talibus peccatis sanctionem auferat, verum ut malis, quae ex pravis illis intentionibus derivantur, remedium afferat, quoniam ex ipso iure naturali matrimonia cum illis intentionibus contracta non sunt revera matrimonia.

5. In tali iure naturae considerando Ecclesia singulari usa est sagacia et perspicacia, ita ut praeter id quod de iure naturae est, nihil aliud illis pravis voluntatibus concedat. Custos namque est tum sanctitatis tum indissolubilitatis matrimonii sancitae per illud divinum eloquium : *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (Math. XIX, 6). Iam vero, in consensu matrimoniali per quem matrimonium efficitur coram Deo et coram Ecclesia, omnia illa haberi quidem debent ex quibus ille perficitur, seu consensus perferri debet in omne id quod eius obiectum constituit; et, ubi habetur, ius non potest non illud perfectum considerare ex natura ipsa.

6. Cum obiectum consensus matrimonialis sit complexum quid, plura iura et officia correlativa continens, et praeterea qualificatum in proprietatibus essentialibus, liquido patet, qui contrahere intendit matrimonium, in omnes partes consensus matrimonialis cum suis proprietatibus essentialibus intentionem suam proferre debere. Iura et officia quae in matrimonio contrahendo partes sibi mutuo tradunt et acceptant (can. 1081 § 2) sunt

correlativa, et in tantum consistunt in quantum haec propter illa idem placitum constituunt (causa contractus). Ita vir ius in corpus suum uxori dat, et haec ius in corpus suum viro: quae iura a partibus respective acceptantur. Inde vir contrahit debitum seu obligationem corpus suum uxori praebendi, et uxor idem officium corporis sui erga maritum contrahit: quae iura et officia intelliguntur in ordine ad actus per se aptos ad p. g. Iura autem sunt haec perpetua et exclusiva, ita ut nulla pars illa officia quoad tempus limitare possit, neque corporis sui copiam aliis praebere sine laesione iuris alterius coniugis.

7. Consensus matrimonialis in iis iuribus et officiis tradendis et acceptandis sistit. Quaedam sententia in hoc Vicariatu Urbis emanata asseruit, illa iura *essentialiter* continere *usum* quoque eorum, ita ut quicumque in eliciendo consensu excluderet exercitium iuris in matrimonio contrahendo, excluderet necessario ius ipsum. Quod verum est si de indissolubilitate matrimoniali agatur, eo sensu, ut iam antiqui tenuerunt, quod quicumque in eliciendo consensu sibi reservat facultatem dissolvendi coniugium, necessario haec intentio in ipsum consensum incidit, illum quoad obiectum limitando. Si autem agatur de iure ad corpus vel de exclusivitate iuris, fieri debet, prout etiam oraculo pontificio docemur, distinctio inter ius ipsum et usum iuris. Qui excludit nempe exercitium iuris ad corpus, intendens in matrimonio usu corporis abuti aut obligationem quam traditio corporis comportat non adimplere, ille non necessario ius ad corpus exclusivum tangit. Nam etsi ius ad corpus

sit in ordine ad *actus* per se aptos ad p. g., id significat eum, qui dat aut acquirit ius ad *actus* iisdem iure uti *posse,* et qui se obligat ad *actus,* eos *poni debere.* Iam vero, inter *posse* uti iure suo in corpus alterius, aut *debere* tradere corpus suum ad actus per se aptos ad p. g., et de facto non uti aut in facto negare traditionem corporis aut non tradere ad actus per se aptos ad p. g., aut tradere ad actus non aptos ad p. g., habetur distinctio realis, ob quam unum stare potest sine alio.

8. Quodsi quis arguere volens, dicat: « se veramente trattasi de volontà *positiva* contraria alla susceptio prolis, questa volontà è necessariamente limitatrice del *diritto* matrimoniale », (sic in Restrictu cl. adv. huius causae) dicendum esset, talem sententiam esse nimis absolutam aut vagam et in se aequivocam plures sensus diversos habentem. Nam dictio: « volontà positiva contraria alla susceptio prolis » si significare vult voluntatem positivam negandi sibi *obligationem* prolis suscipiendae, haec voluntas, cum componi nequeat cum iure *tradendo* in corpus in ordine ad actus per se aptos ad p. g., est limitativa consensus matrimonialis; si vero intendit voluntatem positivam agendi in *usu* coniugii ita ut proles non suscipiatur, non est *necessario* limitativa *iuris* ad actus coniugales, quia sese refert ad actus formam *exclusive,* quae bene stare potest tamquam voluntas superaddita vero consensui matrimoniali quoad *ius* non limitato. Quodsi denique voluntas positiva contraria prolis susceptioni in actu intendatur exercenda per abstinentiam ab usu coniugii sive ob motiva supernaturalia, sive ob motiva naturalia,

quale esset periculum vitae ex maternitate concepta, evidens est talem voluntatem intacta relinquere iura et officia quae per consensum matrimonialem traduntur et acceptantur. Ait Pius XII: « Se la limitazione dell'atto ai giorni di naturale sterilità (atque idem dici debet de abstinentia completa) si riferisce non al diritto stesso, ma solo all'uso del diritto, la validità del matrimonio resta fuori di discussione » (*Allocutio iis quae interfuerunt Conventui Unionis Catholicae Italiae inter Ostetrices,* AAS, 1951, p. 845). Summus Pontifex rationem praebet: « La ragione è perchè il matrimonio obbliga ad uno stato di vita, il quale, come conferisce certi diritti, così impone anche il compimento di un'opera positiva, riguardante lo stato stesso. In tal caso si può applicare il principio generale che una prestazione positiva può essere omessa, se gravi motivi, indipendenti dalla buona volontà di coloro che ne sono obbligati, mostrano che quella prestazione è inopportuna, o provano che non si può dal richiedente — in questo caso il genere umano — equamente pretendere » (cfr. ib.). Haec per applicationem Pius XII enuntiat: « Da quella prestazione positiva *obbligatoria* possono esimere, anche per lungo tempo, anzi per l'intera durata del matrimonio, seri motivi, come quelli che si hanno non di rado nella cosidetta « indicazione » medica, eugenica, economica e sociale » (ib. p. 846). Ergo bene stare potest cum assumpta vel assumenda obligatione et tradito aut tradendo iure ad corpus, pactum etiam perpetuum abstinendi ab actu coniugali et proinde non suscipiendae prolis.

9. Id est, in consensu matrimoniali non traditur *usus* corporis sed *ius* ad corpus. Sicuti in traditione dominii non dantur utilitates rei, sed ipsa res, ipsum ius unde dominus rei utilitates trahere possit; sicuti in contractibus obligatoriis una aut utraque pars obligationem praestationis assumit, unde altera pars ius acquirit ad praestationem: obligatio vero perstat etiam sine exsecutione praestationis.

10. Iam matrimonium *in fieri* in consensu consistit per quem matrimonium *in facto* efficitur. Matrimonium nempe quod in se tria illa bona contineat propter quae illud contrahitur: bona enim haec sunt essentialia et intrinseca ipsi institutioni matrimoniali; ob quae matrimonium est recte et undequaque bonum seu appetibile. Quando dicitur *intentio contra bonum prolis,* id est, contra bonum fundamentale matrimonii secundum eiusdem primarium finem, intelligitur illa consensus limitatio per quam bonum prolis excluditur per denegatum *ius* ad corpus; matrimonium tunc non est bonum undequaque; deficiente ergo bono essentiali matrimonium corruat necesse est, seu est invalidum. Consensus ita limitatus non est consensus matrimonialis et ideo non facit matrimonium. Et quoniam is qui contrahere vult matrimonium, sic debet illud velle quod bona essentialia contineat, in iure *praesumitur* eum, qui animum contrahendi habuit, matrimonium omnibus suis bonis praeditum contraxisse.

11. Sed quoniam praesumptiones sunt coniecturae probabiles rerum incertarum, apprime distinguendi sunt illi casus quibus *certo* consensus

quoad bonum prolis coarctatur seu limitatur, ab aliis *incertis* quibus *propter adiuncta* merito *praesumitur,* voluntate praevalenti supra animum contrahendi ius, consensum matrimonialem fuisse limitatum. Prioris generis sunt conditiones *sine qua non* sive perpetuae exclusionis cuiuscumque actus per se apti ad p. g., dum intenditur coniugio abuti, sive etiam temporariae vel interrumpentes obligationem semel contractam; pacta quae conditionem proprie dictam non contineant sed voluntatem concordem demonstrent praevalentem supra ipsam matrimonii existentiam, ius et officium excludendi ad actus per se aptos ad p. g., idque ex utraque parte nupturientium elicitum; actus positivus i. e. elicitus explicite vel implicite ab alteratura parte contrahentium in ponendo consensu, quo voluntate praevalenti supra ipsam matrimonii subsistentiam consensus matrimonialis limitatur in suo obiecto essentiali, secundum ea quae supra exposita sunt.

Si conditio, vel pactum vel actus positivus, quatenus eorum obiectum in recensitis habetur, probantur, nulla praesumptio inducenda est; matrimonium sub tali conditione, pacto aut actu positivo contracto, i. e. si consensus matrimonialis in quo potestas recidit dandi acceptandique ius in corpus cum relativa praestatione officii, praebetur qualis illae intentiones eum demonstrant, matrimonium consistere non potest ideoque non efficitur.

12. Verum evidens est et quotidianus usus iurisprudentiae nostrae id demonstrare videtur, manifestationes a nupturientibus ante coniugium factas, raro quidem talem distinctam ac univocam significationem habere, qualis desideraretur ut il-

lico matrimonium nullum declarari oporteret. Ratione ergo dubii quod inde enascitur et ut illud solvatur, necesse est omnia adhibere media iuris unde de voluntate et intentione *re vera* habita quaeritur et eaedem detegantur. Hinc usus praesumptionum et regularum interpretationis.

Bene equidem dictum est quod in se et per se neque conditio sine qua non, neque pactum seu conditio implicita habentes pro obiecto limitationes iuris in corpus sint praesumptiones, sed probationes constituant nullitatis consensus matrimonialis. At non semper clare et distincte illa iuris limitatio apparet. Multo minus si de actu positivo simplici agatur. Nam « ob rationem psychologicam qua vulgo solus intenditur effectus et praxis, ut est abusus, quin ascendatur ad radices causasve iuridicas, ut sunt ius et obligatio » (Coram Manucci, 16 ian. 1933, SRR decis., v. 25, p. 17) manifestationes fiunt aequivocae, et si quid praesumi oportet « omnis praesumptio stat pro mero recusato adimplemento obligationis » (cfr. ib.).

At iurisprudentia numquam hanc praesumptionem sic et simpliciter adhibuit. Ubi agitur de conditione aut pacto excludendae prolis, praesumptionem in casibus dubiis admisit « bona (matrimonii) fuisse in se ipsis seu in suis principiis exclusa » (Coram Grazioli, 4 maii 1934, SRR *Decisiones* v. 26, p. 267 et passim); item « si exercitium iuris absolute et in perpetuum excludatur, quia practice non intelligitur vera traditio iuris cuius nullus esse debet actus » (Coram Mannucci, 7 iul. 1926, SRR. decis. v. 18, p. 222). « Licet enim theoretice quis configere possit casum exclusionis perpetuae simpli-

cis exercitii cuiusdem iuris, sensus ipse communis, qui rudium et simplicium hominum actus et sensus movet prae qualibet iuris peritorum elucubratione, docet et ostendit quolibet humano et practico valore carere ius cuius exercitium in perpetuum adimeretur; unde vehementissima oritur praesumptio in tali casu nupturientem iuri ipsi renuntiare voluisse vel correlativam obligationem radicitus integreque a se abiicere » (Coram Grazioli, 11 maii 1944, SRR dec. v. 36, p. 331). Quare PP. Rotales docuerunt attendendam esse in concreto causam seu motivum excludendae prolis. Aversio completa erga aliam partem, vel repugnantia generalis erga filiorum procreationem, vel simpliciter reluctantia filiorum habendorum a tali comparte, a fortiori si causa excludendae prolis nititur in facto permanenti propter quod proles recusatur, uti sunt infirmitates vel morbi hereditarii, validae praesumptiones exclusi iuris esse possunt. Attamen probe notandum est has praesumptiones bene efformari ac proinde efficaces esse, dummodo aliae non adsint circumstantiae e quibus contraria praesumptio desumi debeat. Nam « si non habetur nisi positivus actus voluntatis unius contrahentis, inspicienda est causa huiusmodi actus, nam si causa natura sua perpetua est ideoque exclusio perpetua, potius de iure excluso quam de mero usu agitur; si vero sit transitoria, potius de mero usu. Sed haec non sunt nisi praesumptiones facti quae mentem iudicis ad discrimen quaestionis ponendum adiuvant, nec vi decisiva pollent. Ut iam dictum est, unaquaque causa ex toto adiunctorum complexu iudicanda est » (coram Heard,

2 febr. 1946, SRR dec. v. 38, p. 103). Complexus adiunctorum ex multis efformari quit, inter quae peculiarem attentionem iudicum retinuit semper *tenacia* in proposito servando, ante nuptias elicito, excludendae prolis in coniugio, si haec firmitas post nuptias insuperabilis alias non habeat causas.

Id est, iurisprudentia rotalis vestigia premens iurisperitorum romanorum, qui in arte interpretandae voluntatis adeo excelluerunt, sagaciter principia immutata reliquit, at humaniter determinavit lineamenta quae iudices et iurisprudentes ducant tute in detegenda vera voluntate et intentione qua matrimonia contrahuntur; nam « in conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit » (D. 50, 16, 219). Nec in tali investigatione favor quo gaudet matrimonium (can. 1014) nullam debet difficultatem opponere.

13. Cl. Patronus in suo Restrictu Responsionis a Nobis reverenter (ut suus mos est) exspostulat ut de conceptu simulationis partialis in nostro argumento aliquid edicere velimus. Ipsi enim videtur conventum in nostra causa apparere plene conscientem de integra structura matrimonii canonici, et tamen loco efformandi suam intentionem matrimonialem *totaliter* contrariam ipsi consensui matrimoniali, de intentione proli contraria cogitavit solum et forsitan etiam contraria indissolubilitati coniugii; sed in his intentionibus contra substantiam matrimonii, ait Patronus, implicite totum matrimonium negavit, et proin matrimonium totaliter simulavit. Seu quod idem est, cl. Patrono videtur simulationem sic dictam partialem tunc

solum haberi, cum contrahens non advertens ad integritatem essentialem instituti matrimonialis prout a Deo est conditum, unam eius partem excludit dum in alias consentit; quia, qui advertit ad integram essentiam matrimonii cum suis proprietatibus essentialibus, non potest unam partem negare quin totum matrimonium neget, et sic simulatio totalis producatur.

14. Elucidatio huius quaestionis magis videtur theoriam simulationis respicere, quam expositionem iuris ad praxim iurisprudentiae canonicae. In negotiis adeo complexis, ut est contractus matrimonialis, difficile est totum negotium sub specie simulationis respicere, nisi in illa superiori forma, quando scilicet fingitur consensus matrimonialis, cum deceptione alterius coniugis. « *Fingitur consensus et re vera nihil fit* », et, ut aiebat Baldus, fit corpus sine anima. Simulatio, dicunt canonistae, est mendacium, non est mera reservatio mentalis; quia qui simulat aliud vult, aliud facit et compartem decipit, dum se volentem manifestat, cum re vera non vult. Hinc identitas inter absolutam simulationem quam moderni civilistae dicunt pro usu iuris privati, et simulationem totalem quam canonistae dicunt pro fictione consensus in matrimonio. Sed conceptus simulationis partialis, quem doctrina canonistarum et iurisprudentia rotalis passim adhibet, magis confusus apparet. Saepe saepius qui contrahit cum positiva voluntate limitandi consensum matrimonialem non assumendo aliquam ex obligationibus essentialibus, id ei non obstat quominus voluntas eius feratur in matrimonium. In eo duo actus voluntatis ponuntur,

quorum alter ob specificam suam rationem et praevalentiam destruit priorem genericum a iure requisitum. At id accidit pariter etiam in eo qui conscientiam non habet defectus substantialis sui consensus. Quo in casu etiamsi, ad commoditatem potius, agatur de consensu partialiter simulato, re vera intentio vere simulandi (actus simulatorius) haberi posse non negatur. Dum e contra, ille qui bene cognoscit matrimonium secundum eius integritatem substantialem, si intenderit unam partem eiusdem negare, sive ius in corpus, sive bonum fidei, sive bonum indissolubilitatis, dum contrahit matrimonium cum aliqua ex illis intentionibus, potius omne vinculum respuit et simulationem totalem facit. Attamen ad nullitatem matrimonii probandam commodius proceditur demonstrando quod recusavit obligationem concretam, quam per ostensionem quod matrimonium ipsum noluerit.

Et haec sufficere putamus, ut eximio huius causae Patrono responsum quoddam demus.

omissis . . .

MARCELLUS MAGLIOCCHETTI, *Officialis*
BALDUINUS BEDINI, S. O. Cist., *Vice-officialis*
RAYMUNDUS BIDAGOR S. I., *Iudex Prosyn.*, PONENS

DE INSTITUTIONE QUADRAGESIMAE, APUD S. HIERONYMUM

Scholastici saec. XVI-XVII passim docent ieiunium quadragesimae esse ab Apostolis institutum, et id probant testimoniis S. Hieronymi et D. Leonis: « omnia Ecclesiae ieiunia — ait Lessius — etiam quadragesimae esse iure humano instituta, eoque solo obligare; sub iure humano comprehendo etiam ordinationes Apostolorum, quas ipsi, ut Ecclesiarum rectores, fecere. Probatur primo, quia Patres passim docent ieiunium quadragesimae esse ab Apostolis institutum et Ecclesiae traditum. Hieronymus epist. 56 [41, 3] ad Marcellam de erroribus Montani: *Nos unam quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore congruo ieiunamus*. D. Leo serm. 6 de quadragesima: *Apostolica institutio quadraginta dierum ieiunii impleatur* » [1].

Nostris autem temporibus, omnes historici concedunt — ex silentio Patrum priorum saeculorum — quadragesimam non nisi saeculo IV ortam esse, ideoque non veram putant sententiam S. Hieronymi de institutione apostolica quadragesimae [2].

---

1 Lessius, *de iustitia et iure*, lib. 4, c. 2, dub. 5, n. 30. Cf. Azor, *Inst. moralium*, I, lib. 7, cap. XXIII (= cap. XII, quia in ed. Romae 1600, alteratur ordo cap. et sic inveniuntur: IX, X, XXIII, XIIII); Villalobos, *Summa de la Teología Moral* I, trat. 23, dif. 1, n. 4 (ed. 5 Barcelona 1640) pag. 560.

2 Cf. Vacandard, art. « *Carême* » (Jeûne du), in Dict. de

Sed quaerendum a nobis est, utrum illam sententiam re vera habuerit S. Hieronymus. In aliis enim locis, Hieronymus aperte manifestat institutionem ecclesiasticam quadragesimae. Alia ex parte, ipse textus saepe citatus interpretari debet, iuxta regulas criticas, secundum mentem auctoris eiusque stylum dicendi.

In hoc articulo agitur, in primis, de his locis Hieronymi, in quibus ipse loquitur de Ecclesiae consuetudine; deinde conabor instituere exegesim textus Ep. ad Marcellam, ut eius sententia recte interpretari possit.

1. Hieronymus in *Comm. ad Galatas* (anno 387-388 scripto), occasione explanationis cap. 4, ver. 10 sq. ita proponit obiectionem:

« Dicat aliquis: ' *Si dies observare non licet,* et menses, et tempora, et annos, nos quoque in simile crimen incurrimus quartam sabbati *observantes,* et paresceven, et diem dominicam, *et ieiunium quadragesima,* et Paschae festivitatem, et Pentecostes laetitiam, *et* pro varietate regionum diversa *in honore martyrum tempora constituta* ». In Gal. 4, 10 sq. (Vall. VII 456 D; PL 26, 378 A).

Agitur ergo de temporibus sacris ab Ecclesia statutis, quia eadem difficultas proponitur de omnibus festis — de die dominica, de feriis quarta et sexta, de festis in honore martyrum — ac de observatione ieiunii. Duplex solutio invenitur: prima simpliciter, alia acutius proposita.

« Ad quod, qui simpliciter respondebit, dicet: Nos enim non azymorum Pascha celebramus, sed resurrectionis

Theól. catholique, 2 (Paris 1905) 1726; VILLIEN, *Histoire des Commandements de l'Église* (ed. 3 Paris 1936) pag. 247.

et crucis, nec septem iuxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus Sancti veneramur adventum, et, *ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo,* propterea *dies aliqui constituti sunt,* ut in unum omnes pariter veniremus, *non quo celebrior sit dies illa qua convenimus, sed* quaqumque die conveniendum sit, *ex conspectu mutuo laetitia maior oriatur* ». (Vall. VII 456 DE).

Haec simplex solutio (« ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo ») mutuata a Tertuliano videtur [3]. Notandum quoque quod Hieronymus addit: « non quo celebrior sit illa dies qua convenimus ». Ita nobis indicat tempora sacra statuta esse non quasi praeceptum sacrum audiendi, sed ut « ex conspectu mutuo laetitia maior oriatur ». Alia ex parte, verbum « observantes » hic non sumitur pro obligatione morali, quia secus supervacanea esset quaestio proposita de liceitate praxis Ecclesiae in « observandis » temporibus sacris [4]. Sed videamus aliam solutionem acutius expositam.

---

3 TERTULLIANUS, *de ieiunio* c. 13: « quam dignum fide auspicante congregari undique ad Christum ».

4 « El precepto del ayuno no existía en el siglo IV, como obligación sub gravi para los fieles cristianos. Las palabras jeronimianas « *praecepta maiorum* », « *consuetudo* », « *observantia* », han de ser interpretadas según la mente del autor, no según la mente de Santo Tomás de Aquino. San Jerónimo habla clarísimamente de la voluntariedad de los ayunos en tiempo de Cuaresma. No tenía entonces la « *consuetudo* », la fuerza de ley que le dieron los siglos posteriores. La voluntariedad de los ayunos en el siglo IV y V fácilmente se puede concordar con otros testimonios patrísticos — de Oriente y Occidente — con tal que las sentencias de los Padres se interpreten según la mente de los Padres, no a través del esquema propuesto, por Santo Tomás, sobre

Qui vero oppositae quaestioni acutius respondere conatur, illud affirmat: ‘ omnes dies aequales esse, nec per paresceven tantum Christum crucifigi et diem dominicam resurgere, sed semper sanctum resurrectionis esse diem, et semper cum carne vesci dominica. *Ieiunia* autem et congregationes *inter dies* [sacros], *propter eos, a viris prudentibus constitutos, qui magis saeculo vacant quam Deo,* nec possunt, immo nolunt toto in Ecclesia vitae suae tempore congregari, et ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium ». (Vall. VII 457 A).

Patet igitur mens Hieronymi. Viri perfecti iudicant omnes dies aequales esse: semper vivunt crucifixi cum Christo, semper gaudent cum Christo, semper orant, semper « cum carne dominica » vesci possunt. Viri saeculares, e contra, non possunt — vel nolunt — « toto in Ecclesiae suae vitae tempore congregari et ante humanos actus Deo orationum suarum oferre sacrificium », id est, non renunciaverunt saeculum neque vitam perfectam amplexi sunt. Ieiunia ergo et congregationes instituta sunt a viris prudentibus [5] propter eos homines qui magis saeculo vacant quam Deo.

Haec Hieronymi explicatio optime componitur cum statu spirituali societatis christianae tunc temporis. Post exempla martyrum, oritur in Ecclesia Dei aliud mirum exemplum, nempe vita monachorum [6]. Monachi autem orant cotidie, ieiunant

---

el ayuno, en la *Summa Theologiae* ». Haec omnia in nostra dissertatione, *San Jerónimo y el ayuno* (Excerpta ex diss. ad Lauream in Fac. Theol. Pont. Univ. Gregorianae. Madrid 1949) pag. 79.

[5] In alio ms. legitur « *credentibus* », sed puto meliorem lectionem « *prudentibus* »; in utraque tamen lectione nullo modo agitur de ipsis Apostolis.

[6] Cf. sermonem S. Leonis, *de ieiunio decimi mensis* VII 1:

cotidie [7], non bibunt vinum, non carnibus vescuntur [8]. Itaque continentia sanctorum imitanda proponitur [9]; saeculares exhortatur, ut saltem quadragesima non poculum suspirent, neque edulio carnium delectentur [10].

Erat igitur haec consuetudo, quae tunc oriebatur, ieiunium asceticum, opus supererogatorium ad quod observandum nemo sub gravi tenebatur. Ipse Hieronymus testatur quod pauci saeculares « exercebant » « *semper* » (id est, « observabant ») haec tempora quae statuta erant vel orandi vel ieiunandi.

« caesantibus vero publicis impugnationibus impiorum, et a caedibus se ac supliciis fidelium diabolo continente »; (Id. c. 2): habet acies christiana ... et arma victricia, dum instruente milites suos Spiritu veritatis, mansuetudo iram, largitas avaritiam, benignitas extinguit invidiam ... subegit luxuriam continentia, humilitas arrogantiam propulsavit ... His autem conversionibus, dilectissimi, per providentiam gratiae Dei addita sunt sancta ieiunia ». (PL 54, 183 sq.).

7 S. HIERONYMUS, Ep. 22, 17 ad Eustochium: « sint tibi *cotidiana ieiunia* », Ep. 24, 2 ad Marcellam de vita Asellae: « cumque *per omnem annum* iugi *ieiunio* pasceretur ... et in urbe turbida inveniret heremum *monachorum* ».

8 S. HIERONYMUS, *Adv. Iovinianum* II 6: « Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere et carnem non manducare ». Cf. etiam nostrum art. « *Dieta y virginidad: Basilio de Ancira y S. Gregorio de Nisa* », in Miscelanea Comillas 14 (1950) 187-197.

9 *Epistula Paschalis Theophili,* apud S. Hieronymum Ep. 100, 8: « suadeamus eis qui tempore ieiuniorum esu carnium delectantur, *imitari* sanctorum continentiam ».

10 *Epistula Paschalis Theophili,* apud S. Hieronymum Ep. 100, 6: « nequaquam *diebus quadragesimae,* sicut luxuriosi divites *solent,* vini poculum suspiremus, neque ... carnium edulio delectemur ». Et paulo post: « *non decet ieiunantes* tempore agonis et praelii *vesci carnibus,* monente scriptura: ‘ Adfligetis animas vestras ’.

« *Quotus enim quisque est, qui* saltem haec pauca, *quae statuta sunt* vel orandi tempora vel *ieiunandi semper exerceat*? Itaque sicut *nobis licet vel ieiunare semper vel semper orare*, et diem dominicam accepto Domini corpore indesinenter celebrare gaudentibus, non ita et Iudeis fas est omni tempore immolare agnum, Pentecosten agere, tabernacula, ieiunare cotidie «. (Vall. VII 457 B).

It ita solvit Hieronymus difficultatem propositam.

Consuetudo ergo Ecclesiae in eo consistebat: in statuendis temporibus aptis ad actus cultus Dei, ad officia pietatis [11], ad munus devotionis. Hac de

---

[11] Aperte loquitur S. Leo: « confidenter vos, dilectissimi, *ad opera pietatis hortamur,* quia experimentis didicimus, libenter vos suscipere quod monemus ... *trium* maxime *remediorum* est *adhibenda medicina*: *in orationis* instantia, in castigatione *ieiunii,* in *eleemosynae* largitate: quae *cum pariter exercentur,* Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur. Et iis quidem praesidiis *semper* fidelis anima debet accingi, *sed tunc studiosius praeparari,* cum ii adsunt *dies* qui *proprie* sunt *ad haec pietatis officia* praestituti » (*De ieiunio decimi mensis* IV 1; PL 54, 174 sq). Hac igitur de causa, quia erant officia pietatis « voluntarie » exercenda, multo magis insistit S. Leo in eleemosynis elargiendis quadragesima et temporibus ieiunii, quam in castigando corpore « *paululum* », fideles tantum monens « *ut unusquisque, secundum mensuram possibilitatis* quam accepit a Deo, *in bonis operibus enitescat* » (*De ieiunio decimi mensis* III 2; PL 54, 173 C). Cf. etiam A. Guillaume, *Jeûne et Charité dans l'Église latine, des origines au XIIe siècle, en particulier chez saint Léon le Grand* (Paris 1954) pag. 66-134. Optime quoque J. Lecrecq in introductione (Léon le Grand, *Sermons* I [Coll. Sources chrétiennes 22]. Paris 1949): *il s'agit de modérer un peu — et seulement un peu, paululum, saint Léon le dit plusieurs fois — la liberté de manger, mais de renoncer beaucoup — et en ce domaine il n'y a pas de limite — à la concupiscence* (pag. 48); quando autem laudatus auctor loquitur de praecepto eleemosynae, sicut de praecepto ieiunii (pag. 52 « *Il n'y a donc, à ce précept de l'aumône, comme à celui du jeûne, aucune exception* »), debet intelligi, iuxta mentem

causa quadragesima cum orationibus liturgicis intime connectitur. Et haec officia pietatis ac devotionis eo magis « observantur » quo magis quis ad perfectionem tendit. Ipse Hieronymus, quando somniavit celeberrimum somnum ciceronianum, Antiochiae, « in media ferme quadragesima corpus [habebat ieiuniis] exhaustum » [12]. Et de vita Asellae, haec describitur : « cumque per omnem annum iugi ieiunio pasceretur biduo triduoque sic permanens, tum uero in quadragesima nauigii sui uela tendebat omnes paene ebdomadas vultu laetante coniungens » [13].

Alia ex parte, Hieronymus optime narrat difficultates phisiologicas eorum, qui vitam pudicam adpetentes « in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium putant, et leguminibus onerant stomachum » [14]; et ipse denuntiat abusum eorum qui « quaerunt molestias quasdam, difficultatesque ciborum », id est, « caricae, piper, nuces,

---

Leonis, de opere supererogatorio, pariter ac « observantia ». Cf. I. Carton, *Note sur l'emploi du mot « observantia », dans les homélies de saint Léon,* in Vigiliae Christianae 8 (1954) 104-114.

12 Plura de sommo ciceroniano (Ep. 22, 30) et de « *avitaminosis* » — sit venia verbo — quas saepissime Hieronymus patiebatur, in nostro art. « *Pathos y dieta de S. Jerónimo* », in Archivos Iberoamericanos de Historia de la Medicina 1 (1949) 299-366 (Cf. de hoc opere B. Botte, *in Bull. de théol.* anc. méd. 6 (1951) n. 706; F. Halkin, *in Anal. Bollandiana* 70 [1952] pag. 381).

13 Ep. 24, 2. cf. tamen Ep. 107, 10: « *displicent mihi* in teneris vel maxime aetatibus *longa et inmoderata ieiunia,* quibus *iunguntur ebdomades* et oleum in cibo ac poma vitantur ». Cf. de momento maximo olei ac pomorum in diaeta, ut « avitaminosis » vitentur, art. superius in nota 12 citatum.

14 Ep. 54, 10.

palmarum fructus, tota hortorum cultura, similia, mel, pistacia, sorbitiunculae delicatae »[15]. Etiam S. Augustinus vestigia Hieronymi sequens denuntiat eundem abusum in exhortationibus quadragesimae[16].

Consuetudo quadragesimae, saeculis elapsis, interpretatur ut verum praeceptum ieiunandi. Tunc non cadit finis legis sub praecepto legis. Difficulta-

---

15 Ep. 52, 12. « *Sorbitiunculae* » ita factae erant: « *elota tamen quaedam genera frumenti, ut alica, oryza, ptisana, vel ex iisdem facta sorbitio aut pulticula et aqua quoque madens, imbecillissimis* [cibis, id est, in quo paucum alimenti est] *annumerari potest* » (Celso, *de Medicina* II 18). Hieronymus sorbitiunculas laudavit in *Vita Hilarionis* c. 11 (anno 390-391); Iovinianus autem denuntiavit eas ut abusum ieiunantium: « post resurrectionem piscem et favum comedit, *non sisama, nuces et sorbitiunculas*... Paulus in navi panem frangit, *non caricas*; Timotheo dolenti stomachum vinum suadet bibere, *non piracium* » (*Adv. Iovinianum* II 5). Hieronymus, postquam legit criticas Ioviniani (anno 393-394), scripsit *Ep. ad Nepotianum* (anno 394), in qua etiam ipse haec omnia ut abusum considerat, et explicat non solum vinum inebriare, sed et alia quae in scriptura nomine sicerae considerari possunt. (Ep. 52, 11).

16 « Sunt quidam observatores quadragesimae delitiosi potius quam religiosi... qui copiosis pretiosisque apparatibus fructuum diversorum, quorumlibet obsoniorum varietates et sapores contendunt... ieiunant non ut solitam temperando minuant edacitatem, sed ut inmoderatam differendo augeant aviditatem... denique *tantum capiunt manducando, quantum digerere non sufficiant ieiunando* » (S. Augustinus, de quadragesima VI 8, n. 10; PL 38, 1052) = S. Hieronymus: « Quale illud ieiunium aut qualis refectio post ieiunium, cum pridianis epulis distendimur, et guttur nostrum efficitur latrinarum, dumque volumus prolixiores inediae famam quaerere, *tantum voramus quantum vix alterius diei nox digerat*? Itaque non tam ieiunium appellandum est, quam crapula ac fetens et molesta digestio » (*Adv. Iovinianum* II 12) N. B. Cito textum a me stabilitum, collatis aliis ms. in ed. « *de contemptu ventris et gutturis* » (cf. Ep. 63, 6), id est, *Adv. Iovinianum* II 5-17 quam in lucem forse aliquando dabo.

tes phisiologicae ieiunantium cognoscuntur ab scholasticis et optime tractantur causae a ieiunio excusantes. Ita vere oriuntur alia problemata ieiunii, sub aspectu legis ecclesiasticae, sed de his omnibus problematibus, in scriptis Sanctorum Patrum neque vestigium invenitur [17].

2. *In Comm. ad Mattheum* 9, 15 (anno 389 scripto), iterum Hieronymus affirmat ieiunium quadragesimae esse Ecclesiae consuetudinem. In contextu ipse loquitur de quadragesima, quam faciebant discipuli Montani post Pentecosten, « quod ablato sponso filii sponsi debeant ieiunare ».

Nonnulli putant idcirco post dies quadraginta passionis, ieiunia debere committi, licet statim dies Pentecostes et Spiritus Sanctus adveniens indicant nobis festivitatem, et, ex huius occasione testimonii, Montanus, Prisca et Maximilla etiam post Pentecosten faciunt quadragesimam, quod ablato sponso filii sponsi debeant ieiunare. *Ecclesiae autem consuetudo* ad passionem Domini et resurrectionem per humilitatem carnis venit, ut spirituali saginae ieiunio corporis praeparetur ». In Matth. 9, 15 (Vall. VII 51; PL 26, 57 B).

Luce clarius patet mens Hieronymi. Discipuli Montani non tantum ante Domini passionem facie-

---

[17] Ingenue fateor me legisse fere omnes libros de ieiunio disserentes; ego tamen nullum textum invenire potui, in quo Sancti Patres (S. IV et V) edoceant populum de praecepto sub gravi obligante; immo, aperte dicunt esse voluntariam observantiam, et in eorum exhortationibus virtus ieiunii valde extollitur et eius utilitas ennixe commendatur. Interpretandum igitur in hoc sensu verbum « observare », quando de « observantia ieiunii » temporibus ab Ecclesia stabilitis agitur: exempli causa, in textu S. Augustini citato superius in nota 16. « *Observare* » idem valet ac *exercere, agere, facere* (etiam hispanice: observar = *practicar, hacer algo, ejercitar alguna cosa*).

bant quadragesimam, sed et etiam post Pentecosten. Opponitur ergo praxi haereticorum, Ecclesiae consuetudo, quae quidem unam quadragesimam faciebat. Notatu dignum, quam pulchre a Hieronymo tradatur haec Ecclesiae consuetudo: « ad passionem Domini et resurrectionem per humilitatem carnis venit, *ut spirituali saginae ieiunio corporis praeparetur* ». Est eadem idea quae saepe saepius in orationibus liturgicis evolvitur. Ita exempli causa, in praef. de Quadragesima: « Qui *corporali ieiunio ... mentem* elevas, *virtutem largiris,* et praemia » [18].

3. Quod si his Hieronymi verbis iam monstratur ipsum nosse et affirmare institutionem ecclesiaesticam quadragesimae, nunc possumus instituere exegesim textus *Ep. ad Marcellam* (41, 3; anno 384-385, Romae scrip.).

En prima quaestio dilucidanda: Quaenam sit lectio vera, iuxta mentem Hieronymi. Meo quidem iudicio, haec seligenda videtur: « *Nos unam quadragesimam; secundum traditionem apostolorum toto nobis tempore congruo ieiunamus* ». Hae enim sunt rationes pro nostra lectione:

---

[18] Cf. Orat. fer. VI post Cineres: Inchoata ieiunia, quaesumus, Domine, benigno favore prosequere: ut *observantiam,* quam *corporaliter exhibemus, mentibus* etiam sinceris *exercere* valeamus; Secr. fer. VI post Cineres; Dominica I Quadrag. Orat.; Secr. sabb. Quatuor Temp. Quadrag.; Secr. fer. V post Dominicam II Quadrag.; Orat. fer. II post Dominicam IV Quadrag.; Orat. fer. III post Dominicam IV Quadrag. In his omnibus orationibus liturgicis invenitur verbum « *observantia* » sexties, et « *Observatio* » bis. Aestimo « observantiam » et « observationem » hic interpretari debere, iuxta mentem Patrum, sed hoc relinquo liturgistis definiendum.

a) Lectio difficilior, lectio verior: « *toto nobis tempore congruo* ». Textus Hieronymi receptus est sine mutatione quoad omnia verba, excepto ablativo « *tempore* ». Saeculo XVI, editiones legunt cum manuscriptis: *toto* anno *tempore nobis congruo* »[19]; ita a moralistis citatur: Azor, exempli causa, *toto* anni *tempore nobis congruo*[20]. Manuscriptum Vaticanum lat. 356 (s. IX-X) fol. 137: *toto nobis congruo*. Vallarsi[21] dubitans utrum verius, tradit: *toto nobis* orbe *congruo*, et ita in ed. Maurinorum (Migne) inscribitur. Tandem Hilberg[22], vestigia Vallarsi sequens, eligit verbum « orbe », quod tantum in ms. Berolinensi lat. 18 (s. XII) invenitur, et in caeteris ms. omittitur.

Ergo, alia ms. addiderunt « *anno* », quod revera omitti debet; alia ms. e contra, omittunt « *tempore* », sed « toto nobis congruo » omni sensu caret; tandem unum ms. interpolationibus plenum[23], tradit « *orbe* » pro « *tempore* ». Eligenda igitur videtur lectio difficilior, quia plures rationes externae sunt pro « *tempore congruo* » quam pro « orbe *congruo* ».

b) Punctuationis signa, iuxta stylum Hieronymi. Sincere puto melius sonare in auribus Hieronymi « *tempore congruo* » (dactylum-spondeum)

---

19 Ed. Marianii Victorii (Romae 1565) I, 162 B.

20 Cf. notam 1, in hoc articulo.

21 Ed. Vallarsi (Veronae 1734) I, 187.

22 Ed. Hilberg, in Corp. scriptorum eccl. latinorum, vol. 54, 313, 13.

23 Ms. *Berolinense 18* iudicatur « *il più infarcito di interpolazioni di ogni genere* »: A. Vaccari, *Scriti di erudizione e di filologia* II (Coll. Storia e Letteratura n. 66. Roma 1958) pag. 214 sq.

quam « orbe *congruo* ». Alia ex parte, in editionibus necesse est signis punctuationis uti, ut mens exprimatur auctoris, iuxta sensum auctoris. Hoc scire fas est, si idem verbum aliis in locis pariter ab auctore adhibetur. Ita vero accidit cum verbo « *ieiunare* », quod Hieronymus, cum exprimere velit tempora quibus actio personalis ieiunandi protrahitur, *semper* usus est *ablativo* : « *diebus ac noctibus* ... ieiunemus » [24]; « ieiunantes *tempore agonis et praelii* » [25]; « *quadraginta diebus* ieiunaverunt *ac noctibus* » [26]; « *quadraginta diebus* potest ieiunare » [27]; « *totidem diebus* in solitudine ieiunavit » [28]; « *quadraginta diebus* ieiunavit » [29]. Bis tantum adhibuit acusativum, sed tunc claritatis causa (i. e. ne cum alio ablativo absoluto confundatur) et iuxta regulas grammaticorum: *vel cum verbo in infinitivo* (« et Helias fugiens Hiezabel indicto fame terrae Israel et Dei desuper ira pendente *quadraginta dies ieiunasse* describitur » [30];

---

[24] *Tract. de Ps. XCIII* (ed. Morin, in Anecdota Maredsolana III, II, 131, 13-14).

[25] Ep. 100, 8.

[26] *Contra Ioannem Hierosolymitanum* c. 34 (Vall. II 443 E; PL 24, 386 D).

[27] *Contra Ionamem Hierosolymitanum* c. 34 (Vall. II 444 A; PL 24, 387 A).

[28] *Comm. in Is.* 58, 3 (Vall. IV 688 A; PL 24, 564 A).

[29] *Comm. in Ionma* 3, 4 (Vall. VI 416 D; PL 25, 1140 B).

[30] *Comm. in Ionam* 3, 4 sed corrigendus textus subsequens (Vall. VI 416 D; PL 25, 1140 B), nam collato alio ms. et iuxta locum parallelum, ita legi debet:

In Ionam 3, 4	In Isaiam 58, 3
ipse quoque Dominus uerus Iona missus ad praedicationem	*et ipse Dominus* totidem *diebus ieiunavit, ut nobis* solem-

vel cum praepositione « *per* » (« non quod et *per totum annum* excepto Pentecoste ieiunare non liceat ») [31].

Quodsi de quadragesima loquitur, semper Hieronymus scripsit: *faciunt quadragesimam* [32]; *tres in anno faciunt quadragesimas* [33]; vel « *observantes ... ieiunium quadragesima* » [34]. Hac de causa necesse est, ut due sententiae ad invicem distinctae, interposita mora vocis, separentur, quia Hieronymus nunquam cogitare potuit ipsum scripsisse, neque nos fore lecturos, « una*m* quadragesima*m* ieiunamus », sed utique: *Nos* [facimus] *unam quadragesimam;* secundum traditionem apostolorum *toto nobis tempore congruo* ieiunamus.

c) Contextus doctrina atque stylus. In contextu Ep. ad Marcellam de erroribus Montani, docet Hieronymus discrepantias inter dogma Montani et regulam fidei catholicorum, et quid ipse sentiat de modo quo in utroque acie aestimentur et secundae nuptiae, et quadragesima ac ieiunia, et episcopi atque poenitentia. Multum interest stylus quo discrepantiae illae a Hieronymo manifestantur.

---

mundi quadraginta *diebus ieiunavit, ut,* hereditatem *nobis ieiunium relinquens,* ad esum corporis sui sub hoc numero nostros animos praeparar*et.* nes *ieiuniorum* dies *relinqueret.*

31 Ep. 41, 3.

32 *Comm. in Matth.* 9, 15 (Vall. VII 51 D; PL 26, 57 B).

33 Ep. 41, 3.

34 *Comm. in Gal.* 4, 10 sq. (Vall. VII 456 D; PL 26, 378 A).

	Primum in fidei regula discrepamus. *Nos*
Quoad fidem	Patrem et Filium et Spiritum Sanctum
	in sua unumquemque persona ponimus,
	licet substantia copulemus; *illi* [scil.
	montanistae] Sabelli dogma sectantes
	Trinitatem in unius personae angustias
Quoad secundas	cogunt. *Nos* secundas nuptias non tam
nuptias	adpetimus quam concedimus Paulo iu-
	bente, ut uiduae adulescentulae nubant;
	illi scelerata in tantum putant iterata
	coniugia, ut, quiqumque hoc fecerit,
	adulter habeatur. *Nos* unam quadrage-
Quoad quadrag.	simam; secundum traditionem apostolo-
et ieiunia	rum toto nobis tempore congruo ieiuna-
	mus; *illi* tres in anno faciunt quadrage-
	simas, quasi tres passi sint salvatores;
	non quod et per totum annum excepto
	Pentecosten ieiunare non liceat, sed quod
	aliud sit necessitate, aliud voluntate mu-
Quoad episcopos	nus oferre. Apud *nos* apostolorum locum
	episcopi tenent; apud *eos* ... *Illi* ad om-
Quoad poeniten-	nem delictum ecclesiae obserunt fores;
tiam	*nos* ... hoc inter *nos* et *illos* sit, quod *illi*
	erubescunt confiteri peccata quasi iusti;
	nos, dum poenitentiam agimus, facilius
	ueniam promeremur.

Magis enim ostenditur discrepantia inter utramque quadragesimam, quae quidem verbis « *nos* ... *illi* » passim exprimitur. Hieronymus nuper usus est verbo « *fecerit* » atque statim iterum verbo « *faciunt* » utitur : *tres in anno faciunt quadragesimas.* Facile ergo supletur verbum « *facere* » : Nos [facimus] unam quadragesimam ; immo, haec Hieronymi verba, mora vocis punctuatione nostra signata, magis ostendunt vim dissensionis inter quadragesimas numero diversas quas facie-

bant discipuli Montani et unam quadragesimam quam faciebant catholici: « Nos *unam* quadragesimam ... illi *tres* in anno faciunt quadragesimas » (Hispanice quoque magis ita discrepantia ostenditur: « *Nosotros, una sóla cuaresma; ... ellos hacen durante el año tres cuaresmas* »).

d) Fons a quo Hieronymus hausit « obiectum ab apostolis traditum »: *secundum traditionem apostolorum toto nobis tempore congruo ieiunamus.*

Ubinam invenire Hieronymus potuit tum doctrinam haereticorum tum praxim veterum catholicorum de ieiunio? Nemo melius quam Tertulianus illustrare poterat statum, ut ita dicam, quaestionis saeculo III controversae. Iam montanista factus, in eius libro « *de ieiunio adversus psychicos* », nobis ostendit quaenam sint xerophagiae ac ieiunia sectatorum Paracliti, et cur « psychici », id est, catholici, ad traditionem apostolorum provocantes, in novam disciplinam ieiuniorum ingredi renuerint. Quando Hieronymus, ad Marcellam respondens, de hac re disseruit, iam antea legerat quidquid Tertulianus in libro « de ieiunio » scripserat [35]. En Hieronymi verba collata cum sententia catholicorum, quam Tertulianus referebat.

S. Hieronymus	Tertullianus
Nos unam quadragesimam; secundum *traditio-*	Itaque [aiebant catholici] de coetero indifferenter

[35] Ep. 22, 11 (anno 383-384, Romae scripta): « *non* quod Deus ... *intestinorum* nostrorum *rugitu et inanitate* ventris *pulmonumque* ... (= *non* in *pulmonum et intestinorum* meorum *inanitate.* Tertulianus, de ieiunio c. 2, CSEL 20, 276, 28 sq.).

nem apostolorum toto nobis *tempore congruo ieiunamus*; illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint salvatores; non quo et per totum annum excepto Pentecosten ieiunare non liceat, sed quod *aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre*. Ep. 41, 3.

ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio novae disciplinae, pro temporibus et causis uniuscuiusque; sic et *apostolos observasse*, nullum aliud imponentes iugum certorum et in commune omnibus obeundorum ieiuniorum. De ieunio c. 2 (CSEL 20, 275, 21-25).

Hieronymus ergo fideliter tradidit nobis ea omnia quae in fonte inveniebantur: « et apostolos observasse » (= *secundum traditionem apostolorum*); « pro temporibus et causis uniuscuiusque » (= *toto nobis tempore congruo*); « non ex imperio novae disciplinae » (= *aliud sit necessitate*); « indifferenter ieiunandum ex arbitrio » (= *aliud sit voluntate munus oferre*).

Catholici nempe saeculo III — teste Tertuliano montanista — aestimabant ieiunium (*itaque de coetero ... ieiunandum*); de facto, saepe ieiunabant, « *interdum pane et aqua victitantes* »; ieiunantes autem feria quarta et sexta non tenebantur lege ecclesiastica ad castigationem victus, sed voluntate, ex arbitrio munus devotionis offerebant [36]. Hanc libertatem ieiunandi « pro temporibus et causis

[36] TERTULIANUS, *de ieiunio* c. 2: « suos quidem dies habeant [stationum] quartae feriae et sextae, passiue tamen currant, neque sub legi praecepti ». Cf. Ch. MOHRMANN, « *Statio* », in Vigiliae Christianae 7 (1953) pag. 225: « *la* statio ... *c'est une practique facultative qui n'est pas imposée aux fideles ... et elle comporte un acte de prière et de jeûne ... ces deux éléments s'associent toujours pour former ensemble la* statio ».

uniuscuiusque » impugnabant discipuli Montani dicentes: « *quale est autem ut tuo arbitrio permittas, quod imperio Dei non das?* ». Sed catholici, hanc libertatem [37] deffendentes, provocabant ad traditionem apostolorum (« *sic et apostolos observasse,* nullum aliud imponentes iugum certorum et in commune omnibus obeundorum ieiuniorum »).

Obiectum ergo ab apostolis traditum erat « *utilitas* » ieiunii, « pro temporibus et causis uniuscuiusque ». Hieronymus, deffensor veritatis, fideliter nobis transmissit hanc apostolorum traditionem scribens: « *secundum traditionem apostolorum toto nobis tempore congruo ieiunamus* » (Hispanice quoque: *conforme a la tradición de los apóstoles, seguimos ayunando en todo tiempo que nos parece oportuno*). Hac de causa, quia discrepantia in modo ieiunandi adhuc saeculo IV inter catholicos et montanistas vigebat, prosequitur Hieronymus in his discordiis explicandis: « *non quod et per totum annum excepto Pentecosten ieiunare non liceat* [nobis], *sed quod aliud sit necessitate* [ut faciunt *illi* = ex imperio novae disciplinae], *aliud sit voluntate* [ut facimus *nos* = ex arbitrio, pro temporibus et causis uniuscuiusque] *munus oferre* » [38].

---

37 Expresis verbis S. Leo: « merito disposuerunt apostolicae sanctiones, ut veterum *ieiuniorum utilitas* permaneret » (*De ieiunio decimi mensis* IX 1; PL 54, 189 B); Id, *de ieiunio decimi mensis* IV 2: « *ieiuniorum* vero *utilitatem* novi Testamenti gratia non removit, et *continentiam* corpori atque animae *semper profuturam pia observatione suscepit* (PL 54, 175 B).

38 Vallarsi (I, 187 nota 2; PL 22, 475 nota 6) aliam interpretationem dedit, sed tunc evidenter confunditur praxis ca-

Ecclesiae autem consuetudo, saeculo IV, nihil aliud fecit quam statuere « nova tempora ieiunandi ». Iam saeculo III observabantur « ut tempora sacra » feria quarta et sexta. Nunc igitur constituitur quadragesima ut aliud tempus sacrum, et proinde « *aptissimum* »[39] ut christifideles in eo « *voluntarie* »[40] munus devotionis offerant. Disci-

---

tholicorum cum ieiunio ex imperio montanistarum, et disparet discrepantia inter utramque consuetudinem. Alia ex parte, notetur quomodo in *Ep. ad Marcellam* Hieronymus duobus verbis distinguit consuetudinem Ecclesiae a consuetudine Montanistarum; e contra, disputans *contra Iovinianum* longam dissertationem instituit, sed in tot verbis, non potuit contra illum arguere, sicut S. Bonaventura in *Apologia pauperum contra calumniatorem* V, 10: « errat et *nunc* sancta mater Ecclesia, quae in ieiuniis ab ipsa statutis *iubet* abstinere a carnibus et ab his quae sementinam inde trahunt originem. Errare probatur et ipse qui aut morem Ecclesiae sequitur, et tunc secundum suam sententiam est Manicheus; aut hunc morem sacrum impugnat, et tunc est Ioviniani discipulus » (ed. Quaracchi VIII, 260). Iovinianus autem non impugnavit « morem sacrum », sed ipse quaerebat cur, quando ieiunamus, debeamus a carnibus abstinere, sicut feciebant monachi tunc temporis, dicente tamen Apostolo « *Omnia munda mundis* ». Hieronymus ad hanc difficulatem solvendam (Tit. 1, 15) nihil respondit.

[39] S. Leo: cui medicinae [orationis, ieiunii eleemosynae], dilectissimi, *licet tempus omne sit congruum* [cf. toto nobis tempore congruo], *hoc tamen habemus aptissimum,* quod et apostolicis et legalibus institutis videmus *electum, ut sicut in aliis anni diebus, ita in mense septimo* spiritualibus nos purificationibus emundemus (*De ieiunio septimi mensis* VIII 3; PL 54, 457 C); Id, *de quadragesima* IV, 1: « quamvis enim nulla sint *tempora* quae divinis non sit plena muneribus ... *nunc tamen* omnium mentes *maiori studio ad spirituales profectus moveri* ... quando *ad universa pietatis officia,* illius nos *diei, in quo redempti sumus,* recursus *invitat* (PL 54, 275 A).

[40] S. Leo, *de quadragesima* IV 3: « his autem studiis, dilectissimi, ad quae *voluntarie* confidimus praeparatos » (PL 54, 277 A); Id, *de ieiunio septimi mensis* VIII 2: « *ut prosit nunc voluntate non sumere,* quod ab initio *contra vetitum* nocuit usurpare,

puli Montani, e contra, semper in rigorem incedentes, non tantum tres in anno faciebant quadragesimas, sed etiam tenebantur ex imperio novae disciplinae ad castigationem victus, sicut saeculo III tenebantur ad xerophagias. Haec duplex discrepantia, *quoad numerum* (unam nos; illi tres) et *quoad modum* (nos *voluntate*; illi *necessitate*) erat, ut puto, id quod Hieronymus sentiebat.

Cum saeculis elapsis, mutata quoad modum consuetudine, iam christifideles tenerentur, et praecepto ieiunandi, et unica comestione, et abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis, verba Hieronymi non adeo facile intelligi poterant. Nostris autem temporibus multa et optime de quadragesima acquisita sunt, praesertim in re liturgica [41]. Sed adhuc per-

---

ut sicut illic concupiscentia fuit vulnere, ita *hic abstinentia sit saluti* » (PL 54, 457 C); Id, *de quadragesima* II 1: « nemo est — ut confido — de vobis, qui se *ad opus bonum non gaudeat invitari... parum* enim *religiosus* alio tempore demonstratur, qui *in his diebus non religiosior invenitur* (PL 54, 268 AB). His praelibatis, facile intelligitur textus D. Leonis a moralistis et historicis citatus: « Quod ergo, dilectissimi, *in omni tempore* unumquemque *convenit facere* christianum, *id nunc sollicitius* est et *devotius exequendum, ut apostolica institutio quadraginta dierum ieiunii impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed privatione maxime vitiorum.* (*De quadragesima* VI 2; PL 54, 286 B). « *Apostolica institutio* » est, iuxta mentem D. Leonis, « *utilitas ieiunii* », quae quidem « *oportet* » « *impleri* » ieiuniis quadraginta dierum « *devotius* » ac « *sollicitius* », quam in aliis anni temporibus. Notandum quoque quod hic utitur S. Leo verbo « *facere* », « *exequi* », « *impleri* » eandem rem significans as « *observatio* ».

41 Cf. A. Chavasse, *La préparation de la Pâque, à Rome, avant le Ve siècle. Jeûne et organisation liturgique,* in Mémorial J. Chaine (Bibl. de la Fac. catholique de Théol. de Lyon, vol. 5 [1950] pag. 61-80; Id. *La structure du Carême et les lectures des Messes quadragésimales dans la liturgie romaine,* in Mai-

pulchra studia institui possunt de spiritualitate saecularium tempore quadragesimae, in Ecclesia primaeva. Orationes enim liturgicae et sermones Patrum passim loquuntur de officiis pietatis ac devotionis, id est, de bonis operibus in quadragesima exercendis. Sed optandum est, ut verba Patrum iuxta mentem ipsorum interpretentur [42].

JOSEPHUS JANINI

---

son- Dieu, n. 31 (1952) 72-119; P. Jounel, *Le jeûne Pascal,* in Maison-Dieu, n. 45 (1956) 87-92 citat pulchra opera a Chavasse scripta, sed mihi videtur laudatus auctor de re liturgica peritissimus, non specialem investigationem instituisse de re morali, id est, utrum in temporibus ab Ecclesia statutis, ritus ieiunii fuissetne praeceptus sub gravi. Puto tamen quod utraque investigatio optime componi potest, imo magnu cum fructu in re pastorali.

[42] Animadvertendum quod moralistae saec. XVI et XVII sequuntur interpretationem textus Hieronymi, quam aliqui editores *Operum S. Hieronymi,* post editionem Erasmi, dederunt in eorum adnotationibus, magis polemice quam historice vel philologice rem tractantes. Suum cuique. Ita, exempli causa, ed. Mariani Victorii (Roma 1565) I, 162 B, in nota: « *Quadragesima secundum traditionem apost. est ieiunandum* ». Et in ipsa ed. Victorii, in nota *ad Ionam* 3, 4: « *Discant ex his verbis haeretici, ex Christi et Apostolorum institutione Quadragesimae ieiunium esse: et nos per illud praeparari ad esum veri Christi Corporis, quod quinta sacrae hebdomadis feria, aut ipso in Paschate sumitur. Ex Apostolica institutione Quadragesimae ieiunium esse, apertius etiam in Epistola ad Marcellam contra Montanum Hieronymus sentit* » (Vide textum Victorii citatum a Vall. VI 416 D, nota d; PL

MONUMENTA

SS. D. N. Pius Pp. XII

1 - ALLOCUTIO

(AAS. XXXXIX [28-31 dec. 1957] p. 1011)

Iis qui interfuerunt Conventui internationali, Romae habito, ab « Unione Latina Alta Moda » indicto *.

Di gran cuore vi diamo il paterno benvenuto, diletti figli e figlie, promotori ed associati della « Unione Latina Alta Moda », che avete desiderato venire alla Nostra presenza per renderCi testimonianza della vostra filiale devozione e, allo stesso tempo, per implorare i celesti favori sopra la vostra Unione, ponendola, fin dal suo nascere, sotto gli auspici di Colui, alla cui gloria deve indirizzarsi ogni umana attività, anche quelle in apparenza profane, secondo il precetto dell'Apostolo delle Genti: « Sia che mangiate, sia che beviate, sia che facciate altra cosa, fate tutto per la gloria di Dio » [1].

Voi vi proponete di affrontare con vedute ed intenti cristiani un problema, altrettanto delicato

---

* Die 8 Novembris mensis a. 1957.

1 *1 Cor.* 10, 31.

che complesso, i cui imprescindibili riflessi morali furono in ogni tempo oggetto di attenzione e di ansietà in coloro cui spetta per ufficio, nella famiglia, nella società e nella Chiesa, di adoperarsi per preservare le anime dalle insidie della corruzione e la comunità intiera dalla decadenza dei costumi: il problema, cioè, della moda, specialmente femminile.

L'ensemble des rapports et des exposés de ce Congrès vise à commenter les trois Constitutions Apostoliques « Provida Mater », « Sponsa Christi » et « Sedes Sapientiae », ainsi que le décret de la S. Congrégation des Religieux « Salutairs atque », où sont énoncées les normes, qui doivent guider l'effort d'adaptation et de rénovation. Nous n'avons pas l'intention d'aborder ici les questions particulières, que vous comptez traiter dans vos sessions; mais plutôt de souligner certains points de caractère général concernant le problème de la perfection et celui de la rénovation et de l'adaptation des moyens, par lesquels y tendent les individus et les communautés. Nous parlerons d'abord de la perfection de la vie chrétienne en général, ensuite de sa réalisation dans les groupements

qu'on appelle « états de perfection », en considérant d'abord les relations qu'ils ont avec leurs membres, puis celles qu'ils ont entre eux et avec le Saint-Siège.

I - La perfection de la vie chrétienne

Il importe d'abord de rappeler que le concept de « perfection » au sens strict ne s'identifie pas avec celui d'« état de perfection » et qu'il le déborde même largement. On peut en effet rencontrer la perfection chrétienne héroïque, celle de l'Evangile et de la Croix du Christ, en dehors de tout « état de perfection ».

Nous entendons donc la tendance à la perfection comme une disposition habituelle de l'âme chrétienne, par laquelle non contente de remplir les devoirs qui lui incombent sous peine de péché, elle se livre tout entière à Dieu pour l'aimer, le servir, et se consacre dans ce même but au service du prochain.

La perfection de toute activité humaine libre, comme celle de toute créature raisonnable, consiste dans l'adhésion volontaire à Dieu. Pour une part, qui découle de la condition même de la créature,cette perfection est obligatoire; il faut y tendre sous peine de manquer sa fin dernière. Nous n'avons pas à en préciser les élements. Nous entendons uniquement parler de la tendance habituelle et permanente qui, dépassant tout ce qui tombe sous le coup de l'obligation, prend l'homme tout entier pour le consacrer sans réserve au service

de Dieu. Cette perfection consiste par excellence dans l'union à Dieu, laquelle s'effectue par la charité; elle s'accomplit par conséquent dans la charité. On l'appelle aussi un holocauste perpétuel et universel de soi-même, poursuivi pour l'amour de Dieu et afin de lui manifester délibérément cet amour.

L'idéal de la perfection chrétienne s'attache aux enseignements du Christ, en particulier aux conseil évangéliques, à sa vie, sa passion et sa mort, sources inépuisables, où s'alimente l'héroïsme de toutes les générations chrétiennes. Il embrasse aussi l'œuvre du Christ, c'est-à-dire le service de l'Eglise accompli par amour du Seigneur, à la place et selon la fonction qui reviennent à chacun dans l'ensemble du Corps Mystique.

Cet idéal chaque chrétien est invité à y tendre de toutes ses forces, mais il se réalise d'une manière complète et plus sûre dans les trois états de perfection selon le mode décrit par le Droit Canon et les Constitutions Apostoliques déja citées. En particulier, la Constitution « Provida Mater », du 2 février 1947, sur les « Instituts séculiers » ouvre l'accès des états de perfection au plus grand nombre possible des âmes, qui aujourd'hui aspirent ardemment à une vie plus parfaite. Sans doute cette Constitution affirme que les associations, ne satisfaisant pas aux normes prescrites, ne constituent pas des « états de perfection », mais elle ne prétend nullement qu'en dehors de ceux-ci, il n'existe pas de tendance véritable à la perfection.

Nous pensons en ce moment à tant d'hommes et de femmes de toutes conditions, qui assument

dans le monde moderne les professions et les charges les plus variées et qui, par amour de Dieu et pour le servir dans le prochain, lui consacrent leur personne et toute leur activité. Ils s'engagent à la pratique des conseils évangeliques par des vœux privés et secrets, connus de Dieu seul et se font guider, pour ce qui regarde la soumission de l'obéissance et la pauvreté, par des personnes, que l'Eglise a jugées aptes à cette fin, et à qui elle a confié la charge de diriger les autres dans l'Exercice de la perfection. Aucun des éléments constitutifs de la perfection chrétienne et d'une tendance effective à son acquisition ne fait défaut chez ces hommes et ces femmes : ils y participent donc vraiment, bien qu'ils ne soient engagés dans aucun état juridique ou canonique de perfection.

Il est clair que la perfection chrétienne dans les éléments essentiels de sa définition et de sa réalisation ne prête à aucune rénovation ou adaptation. Mais, puisque les conditions de la vie moderne subissent de profonds changements, la manière de s'y appliquer demandera de son côté des modifications. Celles-ci affecteront ceux qui vivent dans les états de perfection et ceux qui n'en font point partie; mais plus encore ceux-ci, surtout s'ils occupent un rang social élevé et de plus hautes charges. Ne sont-ils pas contraints alors de s'entourer d'un certain appareil d'aisance, de participer à des fêtes officielles, d'utiliser des moyens de transport coûteux : toutes choses qui paraissent difficilement conciliables avec le souci constant de mortification de quiconque désire suivre et imiter le Christ pauvre et humble? Et pourtant, au milieu des biens matériels,

ils ne s'écartent en rien de l'entière consécration d'eux-mêmes à Dieu et ne cessent d'offrir au Seigneur un holocauste sans réserves. Telle est l'œuvre de la grâce qui opère dans l'homme selon la parole du Christ : « Ce qui est impossible aux hommes est possible à Dieu »[1].

II - Les états de perfection

Les problèmes d'adaptation et de rénovation à l'intérieur des états de perfection retiendront davantage Notre attention, et Nous considérerons d'abord les personnes qui en font partie, puis les communautés elles-mêmes, dans leur tendance à la perfection.

1. *Les membres des états de perfection*

Au sujet des personnes individuelles, Nous ne soulignerons qu'un seul point : ce que Nous avons dit, dans la première partie de Notre discours, sur la perfection de la vie chrétienne en général, s'applique aux membres de tous les états de perfection et forme leur devoir premier et essentiel, qu'ils soient inférieurs ou supérieurs ; ils doivent s'unir à Dieu par la charité et s'offrir à lui en holocauste, imiter et suivre le Christ, sa doctrine, sa vie et sa Croix, se consacrer au service de l'œuvre du Christ, l'Eglise, comme des membres choisis et actifs du

---

[1] Luc. 18, 27.

Corps Mystique. Mais une fois bien établie cette obligation essentielle, il ne leur est pas interdit de penser à la rénovation et à l'adaptation des moyens de s'en acquitter, sans manquer toutefois au respect dû à la tradition, et sans déroger aux prescriptions que les Constitutions considèrent comme inviolables ; les inférieurs observeront en outre la discipline religieuse, qui leur interdit de s'arroger ce qui relève de la compétence des Supérieurs et d'entreprendre de leur propre initiative des réformes, qu'ils ne peuvent tenter sans leur autorisation.

2. *Les communautés elles-mêmes*

Un premier point s'offre à l'examen : celui des relations mutuelles entre la communauté comme tout, et les individus, supérieurs ou inférieurs, qui la constituent. Deux éléments importants demandent ici considération : d'abord, l'esprit caractéristique, par lequel s'expriment les relations mutuelles des communautés avec leurs membres ; puis, les obstacles qu'engendrent certains préjugés contre l'obéissance religieuse, de la quelle dépend essentiellement la rénovation de l'esprit propre à la communauté.

Une société organisée constitue un tout et possède une physionomie typique, que chacun des membres contribue pour sa part à déterminer. Tout effort d'adaptation, entrepris à l'intérieur de ce groupement, entraîne nécessairement certaines modifications de son esprit propre ; c'est dire, qu'on touche en quelque sorte à ses fibres les plus intimes.

Or chaque société tient à conserver cet esprit intact, comme c'est son droit et son devoir; elle désire en voir ses membres imprégnés et préoccupés d'en pénétrer leur vie. L'Eglise de son côté et les Souverains Pontifes, en approuvant un genre de vie déterminé, entendent qu'il se conserve dans toutes sa pureté et y veillent avec soin.

Si l'on tombe d'accord pour reconnaître aux Supérieurs majeurs le droit de dire aux inférieurs quel est l'esprit de leur communauté, une question reste posée pour tous: où trouver l'expression objective de cet esprit? Les Supérieurs majeurs ne peuvent en décider selon leur goût ou leur impression, même en toute bonne foi et sincérité. Si le Supérieur majeur est aussi le fondateur, et s'il a reçu de l'Eglise l'approbation de ses idées personnelles comme norme d'un état de perfection, il lui est toujours loisible d'en appeler à ses intentions propres. Mais dans le cas contraire, il doit revenir à l'idée du fondateur, telle qu'elle est exprimée dans les Constitutions approuvées par l'Eglise. Il ne lui suffit donc pas d'une conviction subiective, même étayée par tel ou tel passage des Constitutions. Lorsque le Supérieur propose aux membres de sa communauté l'esprit véritable du fondateur, il exerce son droit et les inférieurs doivent, en conscience, lui obéir. Les droits des Supérieurs et les devoirs des inférieurs sont en cela corrélatifs. L'Eglise et les Souverains Pontifes entendent toujours défendre les droits et urger les devoirs, mais sans sortir des justes limites. Pour éviter d'exaspérer les uns et les autres et conserver la paix, il suffit que chacun reconnaisse et pratique cette nor-

me, qui fut depuis des siècles celle de l'Eglise et des Papes, et reste toujours en vigueur.

Pour en venir aux difficultés actuelles de l'obéissance religieuse, on remarque que le mouvement d'adaptation a provoqué en ce domaine une certaine tension; non que fasse défaut un désir sincère de tendre à la perfection au moyen de l'obéissance, mais parce qu'on en accentue aujourd'hui certains traits, que même des religieux sérieux et de conscience délicate voudraient voir disparaître. On l'accuse en particulier de mettre en péril la dignité humaine du religieux, d'entraver la maturation de sa personnalité, de fausser son orientation vers Dieu seul. Ces objections, semble-t-il, s'appuient sur certaines désillusions éprouvées personnellement ou remarquées chez d'autres et font appel aussi à diverses considérations juridiques.

Afin de dissiper un sentiment de tristesse, issu d'une interprétation erronée des principes qui gouvernent la vie religieuse ou d'erreurs pratiques dans leur application, qu'on se rappelle d'abord la parole du Seigneur : « Venez à moi, vous qui peinez et ployez sous le fardeau, et je vous soulagerai ... Devenez mes disciples, car je suis doux et humble de cœur, et vous trouverez le repos de vos âmes » [2]. Si le Seigneur exhorte ansi les hommes à se charger de son joug, c'est pour leur enseigner qu'au delà de l'observance légale, facilement onéreuse et dure à porter, ils ont à découvrir le sens de la vraie soumission et de l'humilité chré-

---

2 MATTH. 11, 29.

tienne. Bien loin d'offenser la dignité de celui qui s'y soumet, elles le libèrent intérieurement, lui représentent l'acceptation de son état de sujètion non comme une contrainte imposée du dehors, mais comme une remise de soi entre les mains de Dieu dont la volonté s'exprime à travers l'autorité visible de ceux qui ont mission de commander. Le Supérieur de son côté exercera ses pouvoirs dans le même esprit évangélique : « Que le plus grand parmi vous, se comporte comme le plus jeune et celui qui commande comme le serviteur » [3]. La fermeté nécessaire s'accompagnera donc toujours chez lui du respect profond et de la délicatesse d'un cœur paternel.

L'état religieux fait-il obstacle à l'évolution harmonieuse de la personnalité humaine? La contraint-il à rester dans un certain « infantilisme », comme d'aucuns le prétendent?

Qu'on observe donc sans préjugé le comportement des hommes et des femmes, qui appartiennent aux états de perfection! Personne n'oserait certes affirmer que la plupart d'entre eux souffrent d'infantilisme dans leur vie intellectuelle et affective ou dans leur action. Mais, poussant plus loin l'objection, on ne pourrait pas non plus prétendre que, du moins, les communautés et les Supérieurs les contraignent, au fil du temps, à adopter des manières de penser et d'agir qui prêteraient à ce reproche. Ceux qui s'en plaignent doivent se souvenir que saint Paul, fixant aux fidèles le but d'une vie ordonnée selon la foi, les invite à croître dans

---

[3] Luc. 22, 26.

« l'édification du Corps du Christ », jusqu'à constituer « l'homme parfait, dans la force de l'âge, qui réalise la plénitude du Christ. Ainsi », continue-t-il, « nous ne serons plus des enfants hésitants » [4]. L'Apôtre ne permet donc pas aux fidèles de céder à l'infantilisme, mais il exige qu'ils deviennent des « hommes parfaits ». D'ailleurs, dans la première Epître aux Corinthiens, il rejetait de la façon la plus explicite chez les chrétiens adultes les modes de penser et de sentir, qui caractérisent l'enfance. « Quand j'étais enfant, je parlais en enfant, je pensais en enfant, je raisonnais en enfant. Mais devenu homme, j'ai fait disparaître ce qui était de l'enfant » [5].

Ce texte, Nous le citons déjà dans Notre allocution du 18 avril 1952 sur l'éducation de la conscience chrétienne, pour rappeler que le rôle d'une saine éducation est d'apprendre à l'homme à user judicieusement de sa liberté et à se passer de l'éducateur. Que chaque membre des états de perfection, Supérieur ou inférieur, s'applique les paroles de l'Apôtre; alors tout danger d'infantilisme s'évanouira, sans pour autant mettre en cause le respect de l'autorité légitime ni la soumission sincère à ses décisions.

Nous ne revenons pas non plus sur ce que Nous avons dit dans Notre allocution du 8 décembre 1950 au premier Congrès des Etats de perfection, en réponse aux objections avancées contre une prétendue diminution de la valeur personnelle et

---

4 *Ephes.* 4, 12-13.
5 *1 Cor.* 13, 11.

sociale du religieux; si ses droits subissent une certaine limitation, l'état auquel il appartient, l'offrande qu'il fait de lui-même par l'obéissance, lui confèrent une dignité qui compense largement le sacrifice consenti.

L'on tire encore argument contre l'obéissance du fait que la dépendance de l'homme à l'égard du Supérieur s'opposerait au domaine suprême et direct de Dieu sur les consciences. Prétendre que l'homme dépende d'un autre jusque dans sa vie personnelle et son activité, n'est-ce pas conférer au Supérieur des prérogatives réservées à Dieu seul?

En fait, l'Eglise n'a jamais défendu ni approuvé pareille thèse. Elle regarde l'obéissance comme un moyen pour mener l'homme à Dieu. Parce que le motif qui l'inspire est celui de l'union à Dieu et qu'elle est ordonnée finalement à l'accroissement de la charité, le Supérieur ne constitue nullement un obstacle interposé entre Dieu et l'inférieur et détournant à son profit l'hommage adressé à Dieu seul. Le Supérieur ne peut commander qu'au nom du Seigneur et en vertu des pouvoirs de sa charge, et l'inférieur ne doit obéir que par amour du Christ, et non pour des motifs humains d'utilité et de convenance; encore moins par pure contrainte. De la sorte, il conservera, dans la soumission la plus complète, l'empressement joyeux de qui ratifie, par l'engagement concret de chaque jour, la donation totale de soi-même au Maître unique.

Le programme de votre second Congrès Général montre qu'il doit traiter abondamment des relations des communautés entre elles, dans la ligne

du mouvement de rénovation et d'adaptation que vous poursuivez. Aussi n'est-ce pas Notre dessein d'entrer ici dans les détails. Nous sommes certain d'ailleurs que l'on observera fidèlement les règles fixées par la S. Congrégation des Religieux. Il Nous suffira de rappeler que, tout en conservant les distinctions qui existent, et doivent exister, entre les communautés, il faut tendre avec sincérité et bienveillance à l'union et à la collaboration. Il existe en effet une sorte de « bien commun » des communautés, lequel suppose que chacune est prête à tenir compte des autres, à s'adapter aux exigences d'une coordination qui comporte nécessairement aussi quelque renoncement en vue du bien général.

De vos communautés, unies par la grâce divine dans le Corps de l'Eglise, vaut par analogie ce que saint Paul expose dans le passage bien connu de la première Epître aux Corinthiens [6], sur les rapports des membres entre eux: chacun de ceux qui appartiennent au Corps mérite à ce titre le secours de la collaboration de tous en vue de l'unique bien commun, celui de la Sainte Eglise. Il est aisé d'en déduire les sentiments d'estime, de bienveillance, d'obligeance, le désir de collaborer, la sainte émulation, le désintéressement magnanime, qui présideront aux rapports des communautés entre elles. Chaque membre doit assurément tenir à sa nature et à sa fonction propre dans le corps, mais il doit aussi comprendre et respecter la fonction des autres et savoir composer avec eux en vue du plus grand bien commun.

---

[6] *1 Cor.*, 12, 12-27.

Ce qui concerne les rapports des états de perfection avec le Vicaire du Christ et le Saint-Siège, n'a guère besoin d'être rappelé: les prérogatives du Siège Apostolique, fondées sur l'institution du Christ lui-même, et que l'Eglise au cours des siècles n'a fait qu'élucider et préciser, doivent demeurer inébranlables et sacrées. Si tout fidèle les respecte et s'y conforme, ceux qui sont dans un état de perfection sauront sur ce point donner l'exemple à tous. Il importe donc de chercher et de maintenir le contact avec lui. Dans l'Encyclique « Humani generis », Nous avons souligné que la volonté d'éviter le contact et de se tenir à distance fut une raison importante des erreurs et des déviations qui s'y trouvent signalées; et cette attitude regrettable fut le fait en particulier de certains membres des états de perfection. Ce contact, pour être efficace, sera plein de confiance, de sincérité, de docilité.

Le Siège Apostolique désire recevoir de vous des informations non seulement véridiques, mais encore franches, qui permettent de connaître le véritable état de chaque communauté en ce qui concerne la doctrine et la vie, la formation ascétique et l'observance, la discipline religieuse et l'administration temporelle, et ainsi du reste. C'est alors seulement qu'il est possible de promouvoir le bien et de corriger à temps le mal, car dans les dispositions d'esprit favorables dont Nous parlons, les réponses, règles et instructions du Saint-Siège portent leurs fruits.

Il est encore une chose sur laquelle Nous ne voulons pas manquer l'occasion de dire un mot,

c'est la volonté de « centralisation », que beaucoup prêtent au Saint-Siège et lui reprochent. Le mot « centralisation » peut désigner un système de gouvernement, qui prétend tout appeler à soi, tout décider, tout diriger, réduisant les subalternes au simple rôle d'instruments. Cette centralisation est absolument étrangère à l'esprit des Pontifes Romains et du Siège Apostolique. Mais le Saint-Siège ne peut renoncer à sa qualité de centre directeur de l'Eglise. Tout en laissant aux Supérieurs constitués les initiatives prévues par les Constitutions, il doit réserver son droit et exercer sa fonction de vigilance.

Ce qu'il conviendrait de dire au sujet de la rénovation et de l'adaptation des rapports des communautés entre elles et avec le Saint-Siège se trouve suffisamment indiqué, Nous semble-t-il, dans votre programme. Les principes, que Nous avons rappelés, vous offrent une direction et Nous ne doutons pas que vous saurez les approfondir avec fruit.

* * *

Le domaine de la perfection, dans lequel Nous avons fait avec vous quelques pas, est fort vaste et fort beau, mais il reste encore des zones à explorer. Nous avons attiré votre attention sur la perfection en général et sur la perfection dans l'état de perfection. Nombreux sont aujourd'hui non seulement les clercs et les religieux, mais aussi les laïcs qui s'intéressent à ces questions; en les confrontant avec certaines idées et principes modernes, ils y entrevoient des problèmes sérieux et

complexes, dont la solution leur échappe cependant, malgré le vif désir qu'ils ont de la trouver. C'est pourquoi Nous avons voulu leur apporter quelque lumière, en rappelant les principes qui permettent d'y répondre.

En terminant ce discours, Nous vous laisserons encore une pensée de saint Paul dans son Epître aux Colossiens[7]: « Par dessus tout, ayez la charité, en laquelle se noue la perfection ». Au delà des problèmes et des discussions, cherchez surtout l'union à Dieu, et vous approcherez sans cesse davantage de la perfection. Telle est la grâce que Nous vous souhaitons et que Nous implorons sur vous du Très-Haut, en vous accordant du fond du cœur Notre paternelle Bénédiction Apostolique.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Sacra Congregatio Rituum

4 - DECRETUM

(AAS. L [27 ian. 1858] p. 50)

DE PARTE CERAE APUM AUT OLEI IN CANDELIS IN USUM LITURGICUM ADHIBENDA

Plures locorum Ordinarii quaesierunt ab hac Sacra Congregatione an maneat in suo robore decretum n. 4147, diei 14 Decembris 1904, quod praescribit ut « cereus paschalis in aqua baptismali immergendus, et duae candelae in Missis accendendae sint ex cera apum, saltem in maxima parte; alia-

[7] *Col.* 3, 14.

rum vero candelarum, quae supra altaribus ponendae sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet ».

Et Sacra Rituum Congregatio, audito etiam specialis Commissionis consulto, respondendum censuit: *Affirmative, et ad mentem.*

Mens autem est, ut cereus paschalis, duae candelae ad Missae sacrificium destinatae, necnon candela illa, alicubi pro lampade coram Ss.mo Sacramento in tabernaculo asservato indeficienter ardente peculiari modo confecta, congruam contineant partem cerae apum, vel olei olivarum aliarumque plantarum, ut in potioribus actionibus liturgicis et pro cultu SS.mi Sacramenti nobilior materia in quantum possibile adhibeatur.

Attentis tamen praesentis temporis adiunctis, quae adhuc non permittunt ubique terrarum *maximam* partem illarum candelarum ex praedictis materiis conficere, iisque perdurantibus, remittitur ad Conferentias episcopales cuiusque Nationis praecise determinare ad quantas centesimas partes diminui possit cera apum, aut oleum olivarum vel alia olea ex seminibus extractis in illis regionibus, ut praedictae candelae in usum liturgicum adhiberi valeant. Ubi autem Conferentiae episcopales convenire non solent, Ordinarii locorum ut supra decernant. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 13 Decembris 1957.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleucien., *Secretarius*

5 - INSTRUCTIO

(AAS. L [27 ian. 1958] p. 51)

PRO SACERDOTE INFIRMO VEL CAECUTIENTE CIRCA MISSARUM CELEBRATIONEM EIDEM EX INDULTO APOSTOLICO CONCESSAM.

1 - Praenotanda

1. Sacerdos infirmus vel caecutiens seu tali visivae potentiae debilitate, sive accidentaliter, sive habitualiter laborans, ut legere possit nonnisi typos valde crassos, a Sacra Rituum Congregatione dispensationem obtinere potest celebrandi, iuxta normas inferius accuratius exponendas, aut Missam votivam de beata Maria Vergine aut Missam quotidianam Defunctorum.

2. Conditiones vero huiusmodi privilegii ad amussim observari debent.

3. Si durante privilegio orator plane caecus evadat, tunc a celebranda Missa abstinere debet, donec novum indultum a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum impetraverit; eoque obtento, sub gravi tenetur uti assistentia alterius sacerdotis.

2 - Regulae circa Missam votivam de beata Maria Virgine

I - *Quae Missa votiva de beata Maria Virgine sit dicenda*

1. Infirmus vel caecutiens dispensatus dicat Missam *quintam,* inter votivas de beata Maria Virgine assignatas quovis anni tempore, semper albo colore.

2. Si vero tantae adhuc est potentiae visivae ut legere possit etiam alias quatuor Missas votivas de beata Maria Virgine pro diversitate Temporum, licet ei easdem celebrare.

II - *Quando Missa votiva de beata Maria Virgine sit dicenda*

1. Missa votiva de beata Maria Virgine dici *potest* quovis anni tempore; dici vero *debet* omnibus et singulis diebus, in quibus non permittuntur Missae quotidianae Defunctorum iuxta Calendarium Ecclesiae in qua Sacerdos infirmus vel caecutiens celebrat; salvis tamen privilegiis ulterioribus circa Missas Defunctorum infra pag. 3 expositis.

2. In triduo sacro Maioris Hebdomadae Sacerdos caecutiens omnino a celebrando abstinebit.

3. In Festo Nativitatis Domini tres dicere potest Missas.

III - *Quo ritu sit celebranda*

1. Si Missa votiva de beata Maria Virgine celebretur pro re gravi et publica simul causa, a Sacerdote infirmo vel caecutiente semper dicuntur: Unica Oratio, *Gloria in excelsis, Credo,* Praefatio in tono solemni. *Ite Missa est,* et ultimum Evangelium S. Ioannis *In principio,* etsi a Sacerdotibus non privilegiatis facienda esset illa die aliqua commemoratio, vel dicenda Collecta ab Ordinario imperata.

2. In omnibus aliis casibus:

a) dicitur *Gloria in excelsis*:

I - Quandocumque dicendum est in Missa diei occurrentis, iuxta Calendarium Ecclesiae in Missa celebratur;

II - In iubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis;

III - In sabbato.

b) Orationes quod attinet, unica tantum dicatur oratio.

c) *Credo* dicitur:

I - Quandocumque dicendum est in Missa diei currentis, iuxta Calendarium Ecclesiae in qua qua Missa celebratur;

II - In iubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis.

d) In Praefatione dicitur: *et te in veneratione,* praeterquam in Festis beatae Mariae Virg., in quibus Praefatio dicitur perinde ac si Missa de Festo celebraretur.

e) Ultimum Evangelium semper est S. Ioannis: *In principio.*

f) In Oratoriis privatis, Calendario proprio Celebrans utitur.

3 - Rubricae circa Missam Defunctorum

1. Diebus Rubrica permissis iuxta Calendarium Ecclesiae, in qua celebrat, seu proprium in Oratorio privato, Sacerdos infirmus vel caecutiens celebrare potest Missam quotidianam Defunctorum, cum vel sine cantu.

2. Hanc Missam celebrat etiam (et quidem ter si placuerit) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in qua tamen unam tantum Orationem dicet, nempe: *Fidelium*; servata (si bis vel ter hac die celebret) Constitutione Benedicti Papae XV *Incruentum Altaris sacrificium,* cuius vigore unam tantummodo Missam cuicumque maluerit applicare et pro ea stipem percipere valeat: alias vero Missas, nulla stipe percepta, pro omnibus fidelibus defunctis et ad mentem Summi Pontificis, prout ceteri Sacerdotes, applicet.

3. Unica Oratio in hac Missa dicitur.

4. Ad Sequentiam *Dies irae* Sacerdos caecutiens numquam tenetur. Attamen si Missam cantet, licet ipse Sequentiam non legat, Chorus eam cantare non omittat.

ROMANA

Supradescriptam Instructionem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum a Sacerdotibus infirmis vel caecutientibus, qui Apostolicum Indultum in casu obtinuerint, iam a Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV approbatam modo revisam, infrascriptus Cardinalis sacrae Rituum Congregationis Praefectus edi mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 15 Decembris 1957.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. ✠ S.

A. Carinci, Archiep. Seleucien., *Secretarius*.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE PUBLICITATE IURIDICA STATUUM PERFECTIONIS ECCLESIAE

(De distinctione iuris in privatum et publicum in ordinatione canonica et speciatim quoad status perfectionis.)

Finis huius studii non est exponere et explicare ius positivum statuum perfectionis Ecclesiae. Potius intendimus explicare statuum perfectionis naturam iuridicam ex eius fundamento theologico-sociali, quatenus hoc habetur in iure constitutionali communi Ecclesiae et in iure proprio constitutionali statuum perfectionis. Ordo iuridicus enim constituit ordinationem vitae socialis, quae ideoque eo magis perfecta est, quo magis congruit realitati sociali qua fundatur, quaeque consequenter eo minus perfecta est, quo realitati sociali mere formaliter, magis vel minus arbitrarie et ab extrinseco, superadditur.

Conclusiones, quae — explicata natura theologico-iuridica statuum perfectionis ex iure constitutionali — fieri possunt ex notione talis naturea theologico-iuridicae, hic proponuntur tamquam contributum ad discussionem scientificam circa

quaestionem, de qua hic sermo erit. In quantum ideoque de quaestione tractanda aliae habentur sententiae, non negamus vim rationum quibus fundantur; potius proponere intendimus rationem aliquam fundamentalem, quae forte attentionem meretur in ordine ad quaestionem solvendam. Tandem aliquando ita etiam praeparatur via iuri condendo de statibus perfectionis, etsi non putamus omnia particularia debere legibus definiri — cum vita ipsa se evolvat congruenter ad eius naturam — et multo minus omnia particularia debere statim legibus definiri — cum norma magis convenienter habeatur in fine exhaurientis discussionis scientificae. Ita e. g. per saecula habebatur evolutio religionum votorum simplicium, usquedum tandem aliquando earum natura iuridica (tamquam verae religiones) definitive iure condito circumscripta fuerit [1].

Agimus de statuum perfectionis publicitate iuridica, respective de variis gradibus publicitatis iuridicae, quibus varii status perfectionis ab invicem distinguuntur. Proinde agitur de applicatione distinctionis iuris canonici in privatum et publicum ad status perfectionis Ecclesiae. Hinc primum sensus genuinus huius distinctionis iuris in privatum et publicum necnon applicationis eius in ordinatione canonica breviter exponendus est [2].

---

[1] « Completae atque definitivae normae Instituta Saecularia respicientes, ne hodierna ipsorum Institutorum evolutio periculose coarctetur, in opportunius tempus melius differantur. » (Instr. S. Congr. de Rel. 19. martii 1948, AAS 1948, 293.)

[2] Quoad primam et secundam partem eorum, quae hic sequuntur, confer studia auctoris (quae hic supponuntur): Das Pri-

I. De distinctione iuris in privatum et publicum.

1. *De fundamento metaphysico-sociali distinctionis iuris in privatum et publicum.*

Fundamentum metaphysicum ordinis iuridici habetur in *personalitate humana* eiusque evolutione, quatenus homo natura sua — quae inde essentialiter socialis est — multiplicibus relationibus intentionalibus ad alios ordinatur, ut activitate communi necnon communicatione reciproca bonorum humanorum evolvat et perficiat propriam personalitatem ac conferat ad aliorum personalitatis evolutionem.

Hinc requiritur ordinatio externa socialitatis qua talis; vita enim socialis — utpote vita hominis in spatio et tempore positi — ordine externo carente finem suum — actuationem bonorum humanorum communium, quae ad perficiendum personalitatem ordinantur — obtinere non potest. Unio socialis, quae ordinat vitam socialem qua talem est societas indolis organisatoriae. Societatis organisatoriae est praebere ordinem externum seu *organisationem socialitatis* humanae qua talis. Quoad vitam socialem de se naturalem talis ordo essentialiter requiritur ratione pacifici exercitii iurium fundamentalium personae, quod constituit finem proprium Status; talis ordo necessario fundatur in ordinatione socialitatis ratione generatio-

---

vatrecht der Kirche, Gregorianum 1944, 283-320; De principio subsidiaritatis in iure canonico, Periodica de re morali canonica liturgica 1957, 3-65.

nis et educationis prolis (matrimonium et familia) necnon ratione usus bonorum materialium (proprietas privata). Summe convenienter talis ordo socialitatis creatur ad perfectiorem evolutionem vitae socialis etiam (infra Statum) per associationes ratione vicinitatis localis (municipia) et per ordines professionales; porro (extra Statum) per societatem internationalem. Omnibus hisce unionibus socialibus commune est, quod constituunt organisationem socialitatis seu vitae socialis qua talis.

Hinc societas indolis organisatoriae hominem afficit totaliter, i. e. secundum omnes eius relationes externas. Agitur igitur de organisatione, quae, quia requiritur ad ordinatam actuationem socialitatis communis omnibus, *bonum commune sensu technico* constituit. Utique talis organisatio hominem afficit semper sub particulari aliqua ratione. Attamen sub ratione formali, qua talis societas vitam socialem ordinat, omnes relationes sociales membrorum societatis afficiuntur, quia aliquod totum constituunt; hoc sensu societas organisatoria hominem afficit totaliter, quin membra societatis bono communi sub omni respectu, modo totalitario, subordinentur; bonum commune manet semper bonum tali ratione determinatum et restrictum.

Bonum commune sensu technico constituit unitatem, quae societates organisatorias omnes comprehendit, quia semper agitur de eadem socialitate ordinata. Quia autem in singulari tali societate ordo externus socialitatis habetur sub ratione aliqua particulari (e. g. in municipio ratione

vicinitatis localis) de bono communi *proprio* talis unionis socialis sermo esse solet. Revera sub ratione formali, qua vita socialis in respectiva unione sociali ordinatur, haec unio hominem afficit totaliter, i. e. omnem eius activitatem externam, quatenus bono communi congruere debet.

Attamen bonum commune non est propter seipsum, neque concipiendum est tamquam bonum supra singulos. Potius bonum commune est ipsa socialitas humana organisata, seu, dynamice consideratum, complexus conditionum publicarum, quae vitam socialem, activitatem communem ad bona communia humana actuanda possibilem reddunt. Hinc finis internus Status, i. e. protectio exercitii pacifici iurium personalium — quae concipienda sunt concrete tamquam iura acquirendi bona humana in perfectionem personalem hominis ordinata — obtinetur eo, quod vita socialis sub ratione talis protectionis exercitii pacifici iurium personalium externe ordinatur; a. v. creatur et semper de novo efficitur talis organisatio vitae socialis, quae protectionem iurium praebet et ita bonum commune sensu technico constituit.

Proinde bonum commune ordinatur ad membra societatis, non quidem distributive sumpta, sed collective sumpta, et ita ad totalitatem membrorum, quatenus sunt personae; bonum commune enim est *propter personam* eiusque perfectionem. Hinc bonum commune intrinsece constituitur relatione ad finem personalem totalitatis hominum unitorum. « A fortiori nequit immediate ex ratione boni communis, seu ex functione intime organisatoria, directe destrui id, quod essentialiter

structuram internam vitae socialis constituit, e. g. persona humana cum suis finibus essentialibus. Nam hoc per impossibile diceret organisando id delere, quod essentialiter organisari debeat »[3]. Altera ex parte, quia bonum commune non est tale, nisi sit bonum totalitati hominum necessarium — necessaria est organisatio vitae socialis — ad finem personalem obtinendum, ea de causa in ipso ordine boni communis — in sphaera activitatis externae et bonorum externorum — membra societatis bona individualia subordinare debent bono communi; a. v. hac ratione bonum privatum bono communi cedere debet.

2. *De ratione formali distinctionis iuris in privatum et publicum.*

Haec polaritas: persona — societas, bonum personale — bonum commune, se praesentat in ordine iuridico tamquam divisio iuris in privatum et publicum. Proinde haec iuris distinctio habet *fundamentum metaphysicum*. Haec distinctio genuine concipitur tantum, si tamquam metaphysica concipitur; non autem habet indolem mere historicam, nec mere formalem vel practicam.

Singuli enim homines qua personae in quavis societate sunt et manent *subiectum iuris*; immo societas est propter eorum perfectionem personalem; bonum commune relatione ad finem personalem membrorum constituitur ipsamque personam semper tamquam limitem habet. Coordinatio in-

---

[3] G. GUNDLACH, Annotationes in Nuntium Radiophonicum Pii XII. 24.12.42, Periodica 1943, 87.

terna personarum ad totum sociale constituendum habetur ad tuendum exercitium liberum iurium personalium; hinc talis coordinatio natura sua includit ius subiectivum ad evolvendam libere personalitatem, quia ad hoc habetur societas organisatoria. A. v. libertas activitatis personalis inter homines semper concrete possibilis est tantum infra ordinem socialem obiectivum — natura humana est essentialiter socialis — quo libertas protegitur. Iura fundamentalia personae originaria, innata nihil sunt aliud nisi haec libertas personalis relate ad obiecta concreta seu sphaera libertatis concrete circumscripta [4]. Altera ex parte ad bonum commune, quia est necessarium pro ordinata vita sociali, societas organisatoria verum ius subiectivum habet; etiam ipsa *societas est subiectum iuris.*

Hinc relationes inter membra societatis et societatem sunt relationes iuridicae. Societas organisatoria ideoque natura sua ordinationem iuridicam exigit: Ubi societas, ibi ius. Distinguenda igitur est sphaera iuridica personae qua talis a sphaera iuridica societatis qua talis. Societas organisatoria, societas, in qua habetur bonum commune sensu technico, est societas iuridica. Sphaera iuridica societatis *ius publicum* constituit. Omnes relationes iuridicae, quae ratione boni communis habentur, sunt iuris publici, quia ratione boni communis qua talis habentur et ita ratione societatis qua talis.

---

4 Cf. Nuntium Radiophonicum Pii XII. 24.12.42 (Acta Ap. Sedis 1943, 19.)

Ubi autem habentur relationes iuris publici, necessario habentur etiam relationes iuris privati, quia persona bono communi non exstinguitur; immo ius societatis qua talis est natura posterius iure personae qua talis, quia vita socialis in relationibus personalibus fundatur et ad perfectionem personalem ordinatur: Ubi est ius publicum, ibi necessario est etiam ius privatum. Sphaera iuridica personae *ius privatum* constituit. Hinc in societate organisatoria iura membrorum qua personarum omnino permanent. Notandum est ipsam societatem iura habere posse non tantum quatenus est subiectum iurium ratione communitatis cum proprio bono communi, sed etiam quatenus est persona (moralis) seu subiectum iuris qua tale; talia iura, quia directe ad bonum personae (moralis) qua talis — et hac mediante ad bonum commune — ordinantur, privata sunt. Proinde divisio iuris in privatum et publicum ipsa rei natura imponitur; divisio haec est indolis metaphysicae.

Privatum est illud ius subiectivum, quod immediate inservit bono personali obtinendo; publicum est illud ius subiectivum, quod immediate inservit bono communi et hinc fini proprio societatis organisatoriae obtinendo. Ordo iuris obiectivi privati constituitur illis normis, quae directe ordinantur in bonum personale actuandum; ordo iuris obiectivi publici constituitur illis normis, quae directe ordinantur in bonum commune actuandum. Distinctio fit ratione finis immediati, quia indirecte et mediate etiam ius privatum cedit in bonum societatis, etiam ius publicum cedit in bonum personale.

Consequenter relationes iuris privati habentur inter subiecta iuris qua talia, inter personas physicas et morales quatenus sunt personae; tales relationes enim ordinantur in bonum personae qua talis. Relationes iuris publici non sunt unquam inter subiecta iuris qua talia, sed inter subiecta, quae ad invicem referuntur propter bonum commune; tales enim relationes semper ordinantur in bonum commune societatis. Hinc relationes iuris privati non habentur exclusive inter aequales; neque relationes iuris publici sunt exclusive relationes subiectionis. Porro ita explicatur societatem ipsam esse subiectum iuris publici (quoad relatones iuridicas in bonum commune ordinatas), et subiectum iuris privati (quoad relationes iuridicas, quas habet tamquam persona, e.g. dominium bonorum materialium).

In ordinatione essentiali boni communis ad bonum personale totalitatis hominum fundatur conexio stricta inter ius publicum et ius privatum. Iuris publici inter alia est agnoscere et tueri sphaeram iuris privati, agnoscere et tueri illas institutiones iuris privati, quibus ordinarie bona humana obtinentur; nam propter personam eiusque evolutionem est bonum commune et hinc ius publicum. Ita e.g. familia et proprietas bonorum materialium qua institutiones sunt iuris publici; nam ipsa socialitas ratione generationis-educationis prolis necnon ratione usus bonorum materialium necessario est ordinanda. Proinde bonum commune familiam et proprietatem bonorum materialium comprehendit; qua institutiones sunt iuris publici. Concreta autem realisatio familiae et proprie-

tatis in bona materialia (vita propria *huius* familiae, proprietas in *hoc* bonum materiale) est iuris privati, nam directe inservit personae. Hinc normae, quae versantur circa institutiones iuridicas *qua institutiones* sunt iuris publici; normae, quae ordinant *exercitium concretum* iurium personalium, sunt iuris privati. Eadem institutio iuridica igitur (e.g. familia, proprietas bonorum materialium) simul et iuris publici et iuris privati esse potest: ipsa institutio qua talis est semper iuris publici, concreta realisatio, si directe est ordinata in bonum personae, est iuris privati.

Altera ex parte bonum commune requirit et iustificat restrictionem iuris privati. In quantum bonum externum « privatum » est necessarium pro bono communi, in tantum ius privatum restringitur; nullum est ius privatum in obiecta externa, i.e. extra personam posita (activitas externa hominis et bona externa in eius dominio), quod iure publico nequit restringi; saltem extrinsece omne ius privatum restringi potest. Proinde ius privatum semper subest modificationibus ratione ligaminum socialium. Ita etiam bene explicatur, cur vix unquam in concreto — non obstante distinctione univoca in ipsa ratione formali — distincte separari possint normae iuris publici a normis iuris privati; relatio enim mutuae dependentiae inter bonum personale et bonum commune se manifestat in ordine iuridico tamquam influxus unius sphaerae iuridicae in alteram.

II. De distinctione iuris canonici in privatum et publicum.

1. *De fundamento theologico distinctionis iuris canonici in privatum et publicum.*

Principia illa iuridica, quae modo ex structura metaphysica societatis organisatoriae derivata sunt, applicationem habent etiam in Ecclesia. Ecclesia quidem est societas supernaturalis, quatenus eius est tribuere Deo cultum supernaturalem et conferre hominibus gratiam supernaturalem. Attamen bonum supernaturale substantialiter tale in se est pure spirituale; hinc qua tale in potestate Ecclesiae, utpote societatis humanae, esse non potest. Revera bonum supernaturale concreditum est Ecclesiae, quatenus hoc bonum *modo humano* habetur, i.e. actibus externis (quibus Deus efficaciam spiritualem, supernaturalem tribuit). Ita bonum supernaturale modo humano habendum finem internum Ecclesiae constituit; a.v. bonum supernaturale modo humano habendum in tota eius latitudine et secundum diversos gradus supernaturalitatis structuram internam Ecclesiae, activitatis eius socialis qua societatis humanae, determinat.

Attamen structura interna vitae socialis natura sua etiam in Ecclesia organisatione seu ordine externo carere nequit; structura interna activitatis socialis Ecclesiae sustinenda est organisatione: Ecclesia est societas etiam indolis organisatoriae. Proinde bonum supernaturale habetur in Ecclesia modo institutionali seu modo iuridico; bonum supernaturale habetur in toto complexu institutionum iuridicarum Ecclesiae. Ex altera

parte consideratum hoc significat, quod Ecclesiae ordinatio iuridica ordinatur ad bonum supernaturale, ad vitam internam Ecclesiae. Ratione huius conexionis essentialis inter Ecclesiae activitatem externam et vitam internam tota activitas socialis et iuridica Ecclesiae est indolis supernaturalis.

Ordo externus seu organisatio activitatis socialis etiam in Ecclesia habet rationem boni communis. Ecclesiae qua societati supernaturali competit verum et proprium *bonum commune sensu technico*. Nam: Ecclesia habet relationem ad omnem activitatem humanam socialem ratione finis supernaturalis, quae igitur vere constituit aliquod totum, i. e. unum ordinis seu unum ex multis. Ratione finis supernaturalis Ecclesia afficit hominem totaliter, i. e. secundum omnem eius activitatem, quae relationem habet socialem [5]. Proinde Ecclesiae competit praebere ordinem externum socialitati qua tali sub respectu finis supernaturalis

---

[5] Hoc non significat totam vitam socialem esse sub potestate directa Ecclesiae. « Keine Theokratie, kein religiös begründeter Integralismus und Totalitarismus, auch kein Klerikalismus! Denn in diesem so verstandenen Mitsein der Kirche in der menschlichen Gesellschaft ist auch enthalten, dass dieses schützende und fördernde Mitsein der Kirche in der Gesellschaft und in allen ihren Bezirken vor allem von den Laiengliedern der Kirche wahrzunehmen ist, weil gerade sie in den einzelnen Bezirken stehen und subsidiär unterstützt von der Hierarchie, indem sie ihr Lehr-, Priester-, Hirtenamt auf den fruchtbaren Vollzug jenes Mitseins ausrichtet. Hier ist ein eindrucksvolles Beispiel der lebensvollen Beziehung von Hierarchie und Laien in der Kirche grundgelegt. Für beide aber ist massgebend die aus dem Mitsein der Kirche in Gesellschaft und Geschichte erfliessende Verantwortung für die ewigen Ordnungen in der von Gott geschaffenen und zur Erlösung bestimmten Welt ». G. GUNDLACH, Katholizismus und Sozialismus, Stimmen der Zeit, Februar 1958, 341 s.

attingendi. Talis ordo externus est necessarius ad bonum supernaturale modo humano habendum. Ergo hic ordo constituit verum et proprium bonum commune Ecclesiae.

Ad hoc bonum commune actuandum, semper de novo actuandum, Ecclesia habet ius subiectivum exigendi activitatem externam et bona fidelium in tantum, in quantum hic finis haec exigit. Ecclesia igitur non constituit collectivum totalitaristicum, quo finis personalis fidelium exstingueretur. Fideles ordinantur ad Ecclesiam societatem humanam ratione boni communis supernaturalis, quod neque in Ecclesia est bonum in se et propter se, sed bonum restrictum et ordinatum ad fideles eorumque personalitatem supernaturalem perficiendam.

Primus enim effectus baptismatis est impressio characteris baptismalis, quo homo ontice designatur tamquam Christo configuratus et unitus. Charactere baptismali igitur homo ontice elevatur supernaturaliter et capax redditur recipiendi vitam supernaturalem receptamque activitate sua evolvendi et perficiendi. Charactere baptismali supernaturali natura non destruitur, sed elevatur. Hinc neque personalitas aufertur, quia elevatio supernaturalis esse hominis accidentaliter afficit; homo manet suppositum seu substantia ut totum in se subsistens; baptismate eius *personalitas elevatur supernaturaliter*. Proinde baptizatus in finem supernaturalem, in Deum visione beatifica possidendum, tamquam in finem suum personalem tendit, activitate personali libera obtinendum. Immo baptisma confert specificam libertatem ad

finem supernaturalem tendendi, quatenus hominem liberat a lege naturae lapsae, ab impedimentis quae obstabant, quominus ad finem supernaturalem tenderet. (Gal. 4, 26; 5, 1; 5, 13; Rom. 8, 21).

Activitas exercenda in ordine ad finem supernaturalem obtinendum hoc fine specificatur (actus fidei, cultus, caritatis, virtutum moralium etc.); ergo finis obtinendus baptizato officia imponit elevationi eius supernaturali congruentia. Ita libertas est ligata ad finem, qui etiam media, quae sunt necessaria ad finem obtinendum, specificat. De cetero autem electio mediorum, quibus ad finem tenditur, libertati baptizati relinquitur. Nam baptizatus libertate personali quoad activitatem exercendam in ordine ad finem obtinendum non gauderet, nisi haberetur sphaera, in qua quoad obiecta concreta fundamentalia habetur facultas inviolabilis *libere agendi.* Tales facultates constituunt iura fundamentalia christianorum: libertas conscientiae, electionis status vitae (matrimonium, virginitas), communicandi et se associandi cum aliis fidelibus, exercendi caritatem etc.

Immo non sufficiunt tales facultates libere agendi, quia activitas naturalis non sufficit ad finem supernaturalem attingendum. Baptizatus officia in ordine ad finem supernaturalem attingendum implere nequit, nisi haberet etiam facultatem inviolabilem *exigendi et recipiendi* illa media, quibus indiget ad finem suum attingendum: instructio de veritatibus revelatis, participatio in cultu, receptio sacramentorum, directio circa pericula evitanda etc. Baptismate igitur tales facultates agendi, exigendi, recipiendi constituuntur, quae

officiis baptizati correspondent: Baptizatus est subiectum iurium et officiorum. Per baptismum personalitas hominis non tantum interne elevatur, sed etiam in ordine iuridico supernaturali baptizatus constituitur persona; personalitas eius etiam *iuridice ad ordinem supernaturalem* extenditur. (can. 87)

Subiectum cui totus ordo supernaturalis inhaeret, est Ecclesia. Revera homo per baptismum Christo unitus in ipso et per ipsum unitur et devincitur Ecclesiae. Ecclesia enim est Corpus Christi constans duplici elemento, i. e. interno seu vita Christi, et externo seu humano, scl. sociali, iuridico. Tota activitas socialis, iuridica quam strictissime vitae internae conectitur, in qua habet fontem et finem. Hinc unione cum Christo inseparabiliter baptizatus unitur et divincitur Ecclesiae, fit persona in Ecclesia, quatenus haec est societas supernaturalis, iuridica. Libertas activitatis personalis etiam supernaturalis concrete possibilis est tantum in ordine sociali obiectivo, in quo libertas protegitur. Tribuere baptizato iura supernaturalia eaque efficaciter protegere est Ecclesiae, cui respectivae facultates (potestas ordinis, iurisdictionis cum magisterio) sunt a Christo Domino concreditate. (Cf. e. g. can. 87, 682, 1646, 1667).

Proinde ipsa libertas baptizati, ipsa securitas iurium inviolabilium natura sua (consequenter ad institutionem divinam) exigit ligationem ad ordinem obiectivum Ecclesiae; baptizatus officia elevationi supernaturali congruentia *in Ecclesia* implenda habet (professio fidei et communionis cum Ecclesia eiusque auctoritate, actus cultus, carita-

tis, virtutum moralium etc. Gal 5, 13). Proinde baptizatus habet officium concurrendi ad ordinem socialem Ecclesiae servandum, ad bonum commune Ecclesiae actuandum, iam ex hac ratione, quod eius libertas in hoc ordine subsistit et hunc ordinem exigit. Hinc explicatur, quod non-impletio officiorum in Ecclesia — obex de quo in can. 87 — baptizatum privat iuribus communibus christianorum.

2. *De ratione formali distinctionis iuris in privatum et publicum in Ecclesia.*

Secundum modo dicta unitas Corporis Christi, quod est Ecclesia, non habetur eo, quod fideles propriam personalitatem amittunt vel illam amittunt saltem respectu vitae supernaturalis. Unitas Corporis Christi, quatenus refertur ad vitam internam Ecclesiae, habetur per Spiritum Sanctum, qui est unnus idemque in Christo et in omnibus fidelibus. Haec vita interna autem in se directe ab Ecclesia societate humana non tangitur. Quatenus unitas Corporis Christi ad corpus sociale Ecclesiae refertur, etiam informatur hoc Corpus a Spiritu Sancto, anima Corporis Christi.

Attamen corpus sociale ipsum qua societas humana unitatem ordinis intentionalis constituit sicuti aliae societates. Hinc hic habetur utique ordinatio omnium fidelium ad Ecclesiam, in quantum bonum commune talem ordinationem exigit; ipsum bonum commune autem est propter fideles eorumque relationes ad Deum; immo tali finalitate quam maxime effertur vita supernaturalis perso-

nalis fidelium. Hinc relationes inter Ecclesiam et fideles sunt iuridicae, quia et Ecclesiae et fidelibus personalitas iuridica ordinis supernaturalis competit.

Inde manifestum est etiam in ordinatione canonica haberi distinctionem inter ius privatum et publicum, non quidem eo sensu, ac si normae canonicae adaequate distingui possent inter normas iuris publici et iuris privati; sed quod distinguenda est *sphaera iuridica Ecclesiae,* quatenus est societas humana supernaturalis, e *sphaera iuridica fidelium,* quatenus sunt personae in ordine supernaturali. Ius est privatum, si ordinatur directe in bonum personale supernaturale; ius est publicum, si ordinatur directe in bonum commune supernaturale et hinc in bonum supernaturale modo humano habendum, i. e. in finem internum Ecclesiae.

Quoad relationem inter ius privatum et publicum notandum est, quod in Ecclesia magis quam in unionibus socialibus ordinis naturalis normae iuris publici et privati conectuntur, quatenus exercitium concretum iurium privatorum hic maiorem restrictionem admittit ratione boni communis Ecclesiae. Ipsa enim personalitas ordinis supernaturalis, quae confertur per baptismum, una ex parte habetur per elevationem personae ad ordinem supernaturalem, altera ex parte autem haec elevatio consistit in unione cum Christo, quae omnibus baptizatis est communis; in Christo enim omnes baptizati unionem constituunt. Vere haec unio in se est stricte spiritualis et hominibus interna, attamen simul est fundamentum relationis omnium baptizatorum cum Ecclesia, cum corpore Christi socia-

li, quod unionem etiam externam constituit, quae organisatione seu bono communi actuatur. Ipsum bonum supernaturale ideoque habetur tantum *ex relatione cum Christo* et per ipsum cum Ecclesia. Hinc est, quod — salva personalitate omnium baptizatorum, quae praecise elevatur supernaturaliter — iura personalia maiorem restrictionem admittunt in Ecclesia quam ceteris paribus in unionibus socialibus ordinis naturalis. Exemplum sit electio libera confessarii, quae quoad confessionem paschalem per saecula restricta fuit in favorem parochi proprii; quae restrictio iustificabatur necessitatibus boni communis [6].

Proinde tali conexione strictiore inter baptizatos et Ecclesiam personalitas supernaturalis non aufertur. Immo ligationes ordinis obiectivi, socialis semper habentur ratione personalitatis perficiendae, scl. ad tuendum exercitium liberum iurium personalium. Quo maiora sunt iura protegenda, eo strictior requiritur ordo obiectivus socialis, qui ad talem protectionem ordinatur. Cum bonum supernaturale homini praebeat perfectionem qualitative novam, etiam correspondens ordo obiectivus socialis, qualis habetur in Ecclesia, maiores ligationes in bonum vitae supernaturalis exigit. Talis ordo habetur igitur propter perfectionem personalem supernaturalem fidelium protegendam et evolvendam (quae utique simul constituit gloriam Dei). Personalitas ipsa etiam in Ecclesia limitem constituit ordinis socialis: hinc ipsa distinctio iuris

---

[6] Utrum haec necessitas etiam probari potuerit obiective, non est hic nostra quaestio.

in privatum et publicum maiore restrictione iuris privati non tangitur; eo vel minus, quod absorptio omnium finium personalium per unionem socialem constituit totalitarismum, qui non tantum personalitatem destruit, sed ita etiam unionem socialem ipsam, quia haec relationibus personalibus et activitate personali fundatur. Negatio sphaerae iuris privati in ordinatione canonica igitur logice ad affirmandum totalitarismum ducit, qui de cetero quam maxime est alienus ab indole spirituali iuris canonici.

De cetero quoad relationem inter ius privatum et publicum analoge applicantur ea, quae supra in genere dicta sunt. Etiam in Ecclesia igitur institutiones iuridicae sunt iuris publici; ipsum exercitium concretum iurium autem, si directe ordinatur in bonum personae, ordinatur normis iuris privati. Ita libertas conscientiae est institutio iuris publici; normae, quae ordinant e. g. concretam electionem liberam confessarii, sunt iuris privati.

III. De relationibus iuridicis indolis privatae et publicae in statibus perfectionis.

1. *De fundamento theologico-iuridico statuum perfectionis.*

Libertas personalis fidelium quoad electionem mediorum in ordine ad proprium finem personalem supernaturalem obtinendum praesertim refertur ad electionem status vitae. Ipse Christus Dominus tamquam viam perfectioris vitae christianae indicavit *viam trium consiliorum evangelico-*

rum, paupertatis, castitatis, obedientiae. Haec consilia evangelica de se non reddunt hominem perfectum, sed constituunt media obiective meliora ad perfectionem christianam obtinendam. Hinc susceptio libera et perpetua talum consiliorum semper habebatur ab Ecclesia tamquam status perfectionis acquirendae.

Susceptio huius status vitae igitur natura sua dicit renuntiationem exercitii trium *iurium fundamentalium personalium*: iuris acquirendi, habendi, disponendi de bonis materialibus, iuris ad consortium vitae cum persona alterius sexus, quale habetur in matrimonio et in familia propria, iuris propria voluntate determinandi totam vitam personalem, e. g. quoad professionem exercendam, quoad domicilium eligendum etc. Haec renuntiatio autem exercitii iurium personalium ordinatur ad perfectionem personalem supernaturalem, immo obiective constituit medium ad perfectionem personalem obtinendam magis aptum quam exercitium respectivorum iurium. Porro maior libertas baptizati — relate ad non baptizatum — ab impedimentis, quae natura lapsa homini praebet quoad finem suum obtinendum, consiliis evangelicis ulterius augetur eo, quod ad unionem magis directam cum ipso Domino perducunt, dum via ordinaria ad unionem cum Deo est magis mediata, scl. per bona creata: dominium bonorum temporalium, amor matrimonialis, autonomia vitae personalis.

Tendere ad perfectionem christianam fit in Ecclesia, quia Ecclesia est subiectum, cui totus ordo supernaturalis concreditus est et inhaeret; ipsa sola potestatem et officium habet praebendi media

necessaria ad consilia evangelica observanda. Attamen quamdiu talis vita consiliorum evangelicorum manet *privata*, est utique sub auctoritate Ecclesiae, quin tamen — utpote simpliciter effectus iuris libere eligendi statum vitae et mere privata — specialem ligationem iuridicam erga Ecclesiam efficit [7].

Etiamsi fideles communicant et *unionem* ineunt ad observanda consilia evangelica, de se tantum utuntur libertate communicandi et se associandi in ordine ad obtinendum finem supernaturalem personalem. Talis unio autem manet privata, non gaudet personalitate morali in Ecclesia; hinc specialia iura in Ecclesia ei non competunt, nec, ex altera parte, specialem ligationem iuridicam ad Ecclesiam habet, cuius auctoritati utique subest sicuti singuli fideles. Omnes fere Ordines et Congregationes religiosae tali modo ortae sunt: sub influxu charismatico Spiritus Sancti fideles generosi unionem inierunt et vitam consiliorum evangelicorum in magna caritate divina duxerunt.

Attamen quando talis unio habetur, saltem post aliquod tempus facile bonum commune Ecclesiae tangitur, quatenus modus observandi consilia evangelica genuinae doctrinae congruere debet. Hac ratione talis unio sine dubio specialem vigi-

---

7 « Aucun des éléments constitutifs de la perfection chrétienne et d'une tendance effective à son acquisition ne fait défaut chez ces hommes et ces femmes (qui in mundo modo privato, non sociali, vitam agunt consiliorum evangelicorum): ils y participent vraiment, bienque qu'ils ne soient engagés dans aucun état juridique ou canonique de perfection. » (Allocutio Pii XII. ad Conventum Statuum perfectionis 9.12.1957. AAS 1958, 36.)

lantiam ex parte auctoritatis Ecclesiae exigit, nec dubium esse potest Ecclesiam ius et officium habere corrigendi praxim forte erratam, tollendi abusus, immo, si casus ferat, prohibendi unionem. Inde ipsa experientia docet tales uniones sub influxu Spiritus Sancti ortas, iuridice autem indolis privatae, semper quaerere positivam *approbationem* ex parte auctoritatis Ecclesiae. Ordines et Congregationes religiosae in Ecclesia omnes sunt tales eo, quod, etsi tamquam uniones sub influxu charismatico Spiritus Sancti ortae sunt, quaerunt et obtinent approbationem auctoritatis Ecclesiae. Ita enim tales uniones qua uniones relationem obtinent ad ordinem supernaturalem obiectivum, qualis habetur in Ecclesia; in Ecclesia enim modo obiectivo — et hinc certe securo — idem Spiritus Sanctus, qui fidelibus inspiravit desiderium unionis vitae perfectioris, activitatem humanam et iuridicam informat, quam Ecclesia circa talem unionem exercet.

Approbatione ex parte auctoritatis Ecclesiae fit, ut talis unio *qua unio ecclesiastica* particularis ad vitam Ecclesiae promovendam conferat, quatenus fine suo generico vitam perfectiorem christianam consiliorum evangelicorum in Ecclesia socialiter colit, fine suo specifico religionis vel caritatis (cultus solemnis, opera apostolatus, educationis, misericordiae etc.) bonum particulare supernaturale fidelibus socialiter praebet. Ita revera talis unio eo quod ad finem proprium tendit, ad vitam Ecclesiae promovendam socialiter confert, et *ad hoc* approbatur, fovetur, protegitur, dirigitur, etiam sub ratione, qua finis specificus specificat modum ob-

servandi consilia evangelica, qui iam de se est alius et alius in variis talibus unionibus (e. g. paupertas et obedientia magis vel minus quoad obiectum extensa).

Finis Ecclesiae est bonum supernaturale modo humano habendum in tota eius latitudine; divisio et actuatio concreta boni supernaturalis structuram internam Ecclesiae determinat. In hac structura interna vitae Ecclesiae unionibus socialibus status perfectionis pars quam maximi momenti convenit, quatenus status, qui in Ecclesia in unione sociali particulari ad perfectionem christianam tendit, multum confert ad vitam supernaturalem fidelium, non tantum propriorum membrorum, sed omnium fidelium, saltem exemplo vitae, quae iam ipsa indole sua valorem absolutum finis supernaturalis effert; augetur momentum unionum socialium status perfectionis pro vita Ecclesiae per finem specificum respectivae unionis, quia hic finis semper bonum particulare sociale ordinis supernaturalis constituit [8]. Uniones sociales status perfectionis igitur multum conferunt ad finem Ecclesiae actuandum, ad bonum supernaturale modo humano habendum, et per finem eorum genericum, et per finem specificum cuiusvis talis unionis. (In sequentibus unionem particularem approbatam status perfectionis vocamus brevitatis causa: institutum perfectionis, sive sit Ordo religiosus, sive Congregatio religiosa, sive Institutum saeculare; tres igitur sunt status perfectionis socialiter colen-

8 Cf. Const. Ap. Provida Mater (AAS 1947, 116) et Allocutionem ad Conventum Statuum perfectionis 8.12.1950 (AAS 1951, 28) necnon ad Superiores generales 11.2.1958. (AAS 1958, 154.).

dae in Ecclesia. Bonum proprium statuum perfectionis socialiter colendae habemus vitam trium consiliorum evangelicorum socialiter in Ecclesia colendam, bonum proprium instituti perfectionis habemus bonum illud complexum sociale, scl. vitam trium consiliorum evangelicorum propriam tali instituto simul cum bono particulari a tali instituto intento).

2. *De organisatione statuum perfectionis socialiter colendae.*

a. *De bono communi in statibus perfectionis socialiter colendae.*

Iamvero bonum supernaturale proprium statum perfectionis socialiter colendae respective instituti perfectionis exigit ordinem externum seu organisationem. Explicanda igitur est relatio huius organisationis ad organisationem Ecclesiae.

Ecclesiae tamquam societatis organisatoriae est ordinare socialitatem seu vitam socialem qua talem ratione finis supernaturalis. Quia omnis activitas humana ad finem supernaturalem est ordinanda, revera haec organisatio sub hac ratione ad totam vitam socialem refertur et unum totum constituit. Hac organisatione non aufertur autonomia et subsistentia, quae unionibus socialibus ordinis naturalis competit, quia qua tales non tanguntur; concreta autem activitas socialis, quatenus est humana, in finem supernaturalem est ordinanda, et hac ratione ab Ecclesia attingitur. Bonum commune ordinis supernaturalis seu bonum commune Ecclesiae igitur etiam comprehendit vitam socialem

de se ordinis naturalis, quatenus haec ab Ecclesia *indirecte*, ratione finis supernaturalis, attingitur. Attamen bonum commune sensu technico Ecclesiae refertur ad vitam socialem ipsius Ecclesiae, ad vitam socialem, qualis *directe* in se ab Ecclesia attingitur, etsi, uti diximus, a relatione indirecta ad omnem vitam socialem abstrahi nequit.

Bonum commune Ecclesiae igitur aliquod totum constituit, quia ratione finis supernaturalis totam vitam socialem fidelium comprehendit. Sicuti in vita sociali de se naturali plures organisationes habentur, quibus sub ratione particulari vita socialis ordinatur aut magis perfecte ordinatur, ita etiam in Ecclesia multitudo fidelium unionem socialem constituit non tantum universalem totius Ecclesiae; potius Ecclesiae propria est vita socialis valde evoluta in multis formis unionum particularium sive indolis territorialis (dioeceses), sive indolis personalis (e. g. Ordines, Congregationes religiosae). Porro habentur plures uniones fidelium, quibus non habetur organisatio socialitatis qua talis, sed quae ordinantur ad bonum particulare religionis aut caritatis actuandum (e. g. confraternitates, piae uniones etc.).

Uniones sociales indolis organisatoriae infra Ecclesiam bonum commune Ecclesiae magis specificant sub ratione formali ipsis propria (e. g. territorium in dioecesi). In statibus perfectionis socialiter colendae haec ratio est bonum proprium statuum perfectionis respective instituti perfectionis. Hinc status perfectionis et instituta perfectionis sub ratione boni proprii *totam vitam socialem membrorum* afficiunt, quatenus totam vitam socia-

lem membrorum ordinant ad bonum proprium obtinendum. (Illustrari potest hoc assertum exemplo ordinum professionalium vitae socialis de se naturalis). Immo in statibus perfectionis socialiter colendae vere agitur de statibus vitae christianae, qui natura sua (status *perfectionis* acquirendae) ligationes plures et strictiores exigunt ligationibus fidelibus communibus. Etsi igitur bonum commune Ecclesiae est unum, quod in statibus perfectionis et in institutis perfectionis magis specificatur, sermo esse potest et debet hic de bono communi *proprio* statuum perfectionis respective instituti perfectionis, quatenus ordo externus, organisatio propria statuum perfectionis respective instituti perfectionis designatur, quae ad bonum proprium actuandum requiritur.

b. *De publicitate iuridica statuum perfectionis.*

Societas organisatoria seu societas gaudens proprio bono communi sensu technico est *societas iuridica*, i. e. societas, cui competit publicitas iuridica. Hinc singulis institutis perfectionis competit publicitas iuridica; nam tale institutum gaudet proprio bono communi. Ratio formalis, sub qua bonum commune Ecclesiae in statibus perfectionis extenditur, est vita perfectior consiliorum evangelicorum. Hinc ad bonum proprium statuum perfectionis respective instituti perfectionis ordinatur etiam vita personalis in eis, quae de se ab Ecclesia non tanguntur nec tangi possunt sine consensu fidelium (dominium bonorum temporalium, matri-

monium, autonomia vitae personalis et professionis propriae). Bonum commune igitur hic comprehendit sphaeram vitae, quae de se est personalis, privata; haec sphaera hoc sensu attribuitur vitae communi (etsi non necessario sensu technico iuris religiosorum); haec sphaera voluntate membrorum *institutionaliter publica* redditur, quatenus membra tali sphaera (infra ambitum a iure communi et a propriis constitutionibus determinatum) renuntiant in favorem instituti perfectionis vel potius ad bonum proprium instituti obtinendum.

Status perfectionis socialiter colendae in Ecclesia igitur sunt status *publici* perfectionis Ecclesiae seu status perfectionis *iuris publici* Ecclesiae. Revera institutum perfectionis est subiectum iuris quoad omnia, quae ad bonum commune proprium obtinendum requiruntur; hinc institutum perfectionis est subiectum iuris publici [9].

Publicitas iuridica competit institutis singulis *omnium* statuum perfectionis socialiter colendae in Ecclesia. Hoc assertum quoad religiones non habere videtur difficultatem. Sed etiam quoad *Instituta saecularia* haec videntur esse affirmanda; nam

---

9 Notamus nos non dicere institutum perfectionis esse subiectum iuris publici ratione constitutionis personalitatis moralis per auctoritatem publicam. Necessitas constitutionis personalitatis moralis per auctoritatem publicam fundatur in indole supernaturali subiecti iurium in Ecclesia. Etsi finis religiosus vel caritatis, ad quem obtinendum in Ecclesia personalitas moralis constituitur (can. 100 § 1), intelligi videtur publicus, de se non excluditur, quod persona moralis in Ecclesia etiam ad finem privatum (supernaturalem) a publica auctoritate constitui posset. Cf. studium auctoris: De origine personae moralis in Ecclesia, Periodica 1947, 169 ss.

etiam in Institutis saecularibus dedicatio totalis membrorum ad bonum proprium instituti habetur. Habetur igitur organisatio vitae socialis qua talis; in specie etiam hic determinata sphaera vitae personalis, privatae in vitam communem (non sensu technico) convertitur seu institutionaliter publica redditur, etsi non eadem extensione sicuti in religionibus. Hinc etiam hic habetur bonum commune proprium sensu technico et inde publicitas iuridica [10].

Status perfectionis iuris publici Ecclesiae sunt tales iuris publici canonici, i. e. iuris ab Ecclesia constituti et ad finem Ecclesiae ordinati; aliud enim ius in Ecclesia non habetur. Proinde status publici

---

[10] « Sodales ... efficaciter tendere debent ... 2) Obedientiae voto vel promissione, ita ut stabili vinculo ligati totos Deo et caritatis seu apostolatus operibus se dedicent, et in omnibus sub manu et ductu semper moraliter sint Superiorum, ad normam Constitutionum ... Vinculum quo Institutum saeculare et ipsius membra, proprie dicta, inter se coniungi oportet, debet esse: 1) Stabile, ad normam Constitutionum, sive perpetuum sive temporarium, elapso tempore renovandum; 2) Mutuum ac plenum, ita ut, ad normam Constitutionum, Sodalis se totum Instituto tradat, et Institutum de Sodali curam gerat atque respondeat. » (Const. Ap. Provida Mater, diei 2. februarii 1947, AAS 1947, 121.) « Instituta Saecularia, quorum membra, etsi in saeculo commorantur, ex plena tamen Deo et animabus consecratione quam, probante Ecclesia, profitentur, et ex interna ordinatione hierarchica interdioecesana et universali, quam diversis gradibus habere valent, inter status perfectionis iuridice ab Ecclesia ipsa ordinatos et recognitos, ex Apostolica Constitutione Provida Mater Ecclesia iure meritoque numerantur. Consulto igitur illius S. Congregationis competentiae et curae Instituta adiudicata et commissa fuerunt, quae de statibus publicis perfectionis regimen et curam gerit. » (Motu proprio Primo feliciter, diei 12. martii 1948, AAS 1948, 285 s.).

perfectionis Ecclesiae sunt *Status canonici* perfectionis [11].

Quod attinet particularia, publicitas iuridica habetur imprimis quoad institutiones institutorum

---

[11] Dicitur in Const. Ap. Provida Mater (l. c. 117 s.): Hic quaestio est de Consociationibus, « quae in interna constitutione, in hierarchica regiminis ordinatione, in plena nullisque aliis vinculis limitata deditione, quam a membris proprie dictis requirunt, in consiliorum evangelicorum professione, in ratione denique ministeria et apostolatum exercendi, propius quoad substantiam accedunt ad status canonicos perfectionis, ac speciatim ad Societates absque votis publicis, quamvis non vita communi religiosa, sed aliis externis formis utantur. » Hic textus non videtur debere intelligi, quod Institutis saecularibus denegatur ratio status canonici perfectionis. Bene textus intelligi potest eo sensu, quod Instituta saecularia, quia quoad substantiam proprius accedunt ad status canonicos perfectionis, iure inter ipsos computantur, quamvis vita communi iuris religiosorum careant. — Etiam titulus Constitutionis Apostolicae Provida Mater (De statibus canonicis Institutisque saecularibus christianae perfectionis adquirendae, l. c. 114) hoc sensu videtur posse intelligi: De statibus canonicis perfectionis et in specie de Institutis saecularibus. — Multo minus difficultas moveri potest ex textu Allocutionis Pontificiae diei 9. dec. 1957 (cf. notam 7). Hic dicitur tantum vitam privatam consiliorum evangelicorum constituere nec statum iuridicum nec canonicum perfectionis; negatur igitur character institutionalis, publicus talis vitae privatae consiliorum evangelicorum, quin affirmetur in Ecclesia haberi et statum iuridicum et ab ipso distinctum statum canonicum perfectionis. — Distinctio iuris Ecclesiae in iuridicum et canonicum — ratione habita, quod totum ius Ecclesiae ad finem supernaturalem ordinatur, quod termino technico 'canonicum' designari solet — difficulter intelligitur; haec distinctio videtur in se continere periculum, quod concipitur pars iuris Ecclesiae tamquam ius saeculare, i. e. non spirituale, non supernaturale, eo vel magis, quod hoc non raro in detrimentum characteris spiritualis et supernaturalis iuris Ecclesiae affirmatur. (Cf. e. g. conceptionem charismaticam Ecclesiae a Sohm propositam.) A. v. terminus technicus 'canonicum' sensu generico applicatur ad totum eius Ecclesiae; si insuper applicatur sensu specifico (distinguendo ius Ecclesiae in iuridicum et canonicum) talis modus loquendi facile confusionem causare potest.

perfectionis. Ita sunt iuridice publicae constitutiones instituti, quatenus finem obtinendum et media applicanda indicant, quatenus regimen specificant et officia congruentia constituunt, quatenus iura condunt et officia imponunt, sive Superiorum ratione officii eorum, sive membrorum; generaliter omnes institutiones obiectivae talium institutorum, quia directe ordinantur ad bonum commune, sunt iuris publici.

Porro sunt iuridice publica illa negotia iuridica, quae constituunt exercitium iuris vel impletionem obligationis sive instituti (e. g. imponendo officium Superioris), sive membrorum (e. g. electio activa et passiva ad tale officium) in ordine ad bonum commune actuandum. Consequenter sunt publicae etiam illae relationes iuridicae, quae ex talibus negotiis iuridicis oriuntur. In specie *aggregatio* ad tale institutum est negotium iuris publici, quia directe ad bonum instituti ordinatur. Aggregatione voluntate aggregandi institutionaliter publica redditur sphaera eius personalis in eis, quae spectant consilia evangelica; aggregandus constituitur membrum talis instituti, officia erga institutum admittit, iura obtinet in eo. Quomodocumque igitur aggregatio fiat, semper constituitur ligamen iuris publici inter institutum et aggregandum. Hinc, si tale ligamen constituitur per vota, haec sunt *publica*, vere « votum est publicum, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur » (can. 1308 § 1), quod hic videtur obtineri. Verum est in ordinatione canonica vota publica haberi tantum vota religiosorum (et votum ordinibus sacrum adnexum). Attamen tempore promulgatio-

nis CIC legislatio de Institutis saecularibus nondum habebatur; legislatio, quae nunc de ipsis habetur, circa naturam vinculi inter Institutum saeculare et membra nondum est absoluta. Nonne videtur esse conveniens futura modificatio can. 1308 § 2 eo sensu, quod tertia species votorum publicorum (non votorum religiosorum) admittatur: solemnia, simplicia[12], recognita; solemnia et simplicia sunt religiosa, recognita (vel alio nomine designanda) essent propria Institutorum saecularium? De cetero etiam vota simplicia per saecula tamquam vota publica et religiosa non recognoscebantur. Pari modo iuris publici est *dimissio*, quatenus per illam vinculum membri cum instituto solvitur et publicitas institutionalis sphaerae personalis aufertur. Proinde publici sunt omnes illi actus, qui ponuntur ad dimissionem iuridice peragendam.

c. *De negotiis et relationibus iuris privati in statibus canonicis perfectionis.*

Ubi est ius publicum, etiam habetur ius privatum. Hoc principium in statibus canonicis perfectionis non patitur exceptionem. Et quidem habentur hic negotia iuridica privata — quibus respectivae relationes iuridicae privatae oriuntur — iam ex eo, quod conversio sphaerae personalis, privatae in publicam quoad obiectum est determinata et restricta; immo vita communis in variis statibus

---

12 Ad normam Const. Ap. Provida Mater (l. c. 120) Instituta saecularia non admittunt « tria publica religionis vota ». Hinc de se non excluditur, quod habent vota publica non sensu iuris religiosorum.

perfectionis et in singulis institutis maiorem vel minorem extensionem institutionaliter habet. Pars sphaerae privatae, quae publica non fit, etiam iuridice manet privata, quatenus negotia iuridica, quae quoad hanc sphaerae privatae partem fiunt, sunt iuris privati. Ita e. g. professi votorum simplicium in religionibus conservant « proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi » (can. 580 § 1). Omnia negotia iuridica et relationes iuridicae, quae circa bona patrimonalia professi votorum simplicium habentur, sunt ideoque iuris privati; directe enim ordinantur in bonum personale talis professi.

Sed etiam quoad sphaeram personalem, privatam, institutionaliter factam publicam, quatenus vitae communi attribuitur, negotia iuridica, quibus *actuatio concreta vitae communis* fit — et consequenter respectivae relationes iuridicae — sunt iuris privati, quia directe ordinantur in bonum personale membri instituti aut (instituti vel) domus instituti, quatenus est persona (moralis). Ita e. g. professus votorum simplicium in religionibus quidquid « industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit » (can. 580 § 2). In hoc casu agitur de acquirendo dominio bonorum temporalium ex parte domus vel religionis qua personae moralis. Quod haec bona cedunt religioni titulo iuris publici, i.e. ratione vitae communis institutionaliter assumptae ex parte religiosi, non reddit publicum illud negotium iuridicum, quo dominium horum bonorum acquiritur. Illustrati potest assertum exemplo tributorum publicorum, quae cives solvere tenentur quidem ratione boni

communis; solutio autem concretae summae pecuniae tamquam tributi fit fisco, i.e. Statui tamquam subiecto iuris patrimonialis et hinc subiecto iuris privati. Solutione tributi directe patrimonium fisci augetur, etsi utique aliunde obligatio habetur applicandi tributa ad bonum commune, cui ideoque solutio tributi indirecte inservit; directe autem solutio tributi est in bonum personale, scl. fisci qua personae (moralis). Pari modo bona, quae religiosus acquirit, ratione autem vitae communis non sibi acquirit, immediate augent patrimonium (religionis vel) domus religionis qua personae (moralis). Titulus igitur, quo tale dominium acquiritur, institutionaliter est iuris publici, scl. vita communis a religioso assumpta, negotium iuridicum autem, quo dominium acquiritur hac ratione, est iuris privati.

Porro *destinatio membri instituti* ad hanc domum potius quam ad illam, ad hoc munus quam ad illud (ad docendum et non ad praedicandum, ad curam aegrotorum et non ad servitia domestica) directe est in bonum talis domus vel instituti qua personae (moralis). Vere talis persona moralis ita illa bona acquirit, quibus finis domus et instituti actuatur. Ipsa membra autem ascriptione ad talem domum accipiunt titulum sustentationis per talem domum habendae et auxilii spiritualis pro vita perfectiore christana; in genere accipiunt in concreto media, quibus vitam perfectiorem christianam personaliter actuare possunt. Hinc haec omnia sunt iuris privati. Cum ita bonum proprium instituti obtinetur, omnes tales relationes iuris privati mediate et indirecte cedunt

in finem instituti obtinendum. Proinde vita communis utique est iuris publici, quia qua institutio directe ordinatur ad bonum commune instituti perfectionis; actuatio autem concreta, in quantum directe cedit in bonum personale membri vel (instituti aut domus) instituti qua personae (moralis), est iuris privati.

Proinde etiam in statibus canonicis perfectionis *normae iuridicae* directe ordinatae in bonum personale qua institutiones sunt iuris publici; concretum autem exercitium talium iurium est iuris privati. Ita libertas religiosorum quoad electionem confessarii occasionalis qua institutio est iuris publici tamquam protectio libertatis conscientiae, quae est inter iura fundamentalia christianorum; concreta autem electio huius confessarii est iuris privati, quia directe ordinatur in bonum personale huius religiosi. (Cf. can. 519, 522).

Tandem ex modo expositis sequitur, quod etiam in statibus canonicis perfectionis finis personalis vitae servatur, effertur et *iuridice* recognoscitur. Utique in statibus canonicis perfectionis sphaera privata praesertim quoad vitam personalem et munus proprium exercendum restringitur essentialiter; vita socialis consiliorum evangelicorum in tali restrictione sphaerae privatae in favorem vitae communis constituit; inde statibus canonicis perfectionis publicitas iuridica competit. Attamen restrictio libertatis personalis in favorem vitae communis non tantum natura sua (i. e. supposita conceptione christiana vitae) in maiorem perfectionem personalem ordinatur, sed etiam iuridice talis finalitas manifestatur eo, quod rela-

tiones inter institutum et singula membra, quae sphaeram privatam spectant, sunt revera iuris privati, ordinantur directe et immediate in bonum personale membri et (domus instituti vel) instituti qua personae (moralis). Proinde conversio sphaerae vitae personalis, privatae in vitam communem, qua fit publica, cedit obiective, institutionaliter in maiorem perfectionem personalem, quatenus actuatio vitae perfectioris fit *per negotia iuris privati* directe ordinata in bonum personale membri.

Inde non excluditur, quod idem negotium iuridicum *simul iuris privati et iuris publici* esse possit sub alio et alio respectu, scl. prouti directe ordinatur in bonum personale (membri vel personae moralis instituti) respective in bonum commune. Vere saepissime res ita se habet; e. g. destinatio membri ad talem domum directe propter bonum commune necessaria esse potest, et sub hac ratione forte a Superiore maiore imponitur; hoc autem non excludit, quod actuatio concreta huius destinationis est negotium iuris privati cedens directe etiam in bonum personale membri et domus qua personae (moralis). — Ius instituti perfectionis habendi et acquirendi bona temporalia ad bonum commune actuandum est publicum; acquisitio concreta et solutio bonorum temporalium fit per negotia iuris privati.

d. *De potestate in statibus canonicis perfectionis.*

Organisatio vitae socialis seu bonum commune sensu technico exigit normas, quibus specifi-

cantur illa media, quae ad bonum commune actuandum requiruntur. Porro bonum commune exigit principium, quo realiter et efficaciter providetur applicationi horum mediorum; tale principium est *auctoritas*. In Ecclesia, quatenus est societas supernaturalis institutionis divinae, ipsum bonum commune bono supernaturali actuando determinatur, immo magna ex parte etiam iure divino circumscribitur. Inde etiam potestas auctoritatis in Ecclesia a Deo descendit non tantum qua institutio, sed etiam in subiectum concretum supremae potestatis, a quo subiecta inferioris potestatis potestatem obtinent. (Officium Episcoporum etiam ipsum est iuris divini, de cetero autem officia, quae subiecta potestatis ecclesiasticae sunt, sunt institutionis ecclesiasticae. — De potestate ordinis in hoc contextu agendum non est).

Auctoritas Ecclesiae habet igitur necessario potestatem ordinatam ad bonum commune Ecclesiae actuandum; haec potestas est Ecclesiae propria, quatenus est societas humana (a potestate vicaria divina hic abstrahimus); est publica, quia ad bonum commune ordinatur; est suprema et independens ab alia auctoritate humana. Haec potestas iurisdictionis Ecclesiae comprehendit etiam status canonicos perfectionis. Quoad hoc assertum nulla habetur difficultas, in quantum est sermo de potestate Ecclesiae circa status canonicos perfectionis. In quantum autem haec potestas ab Ecclesia attribuitur singulis institutis perfectionis et hic exercetur etiam in ordine ad proprium bonum commune, assertum explicatione indiget.

Qualis naturae igitur est haec potestas in sin-

gulis institutis perfectionis? Una ex parte singulis institutis perfectionis competit bonum commune sensu technico; hinc non tantum iure communi Ecclesiae de statibus canonicis perfectionis reguntur, sed insuper propriis normis gaudent ad finem proprium ordinatis. Quoad exsecutionem omnium harum normarum ad finem proprium per bonum commune proprium obtinendum Superioribus competit sine dubio respectiva potestas; haec potestas, quia est ad bonum commune, est *indolis publicae*. Haec potestas igitur est publica in *omnibus institutis* perfectionis (religiones et Instituta saecularia), quia ratio modo indicata ad omnia haec instituta se refert, uti supra expositum fuit.

Potestas autem, quae singulis institutis perfectionis competit ad proprium finem obtinendum, est potestas *dominativa,* i. e. potestas, quae habetur in voluntatem subditorum circa activitatem externam ordinandam ad bonum commune; bonum commune instituti respective bonum proprium instituti qua publicum exigit potestatem dominativam publicam.

Potestate dominativa aut oritur natura rei (e. g. in parentibus erga filios) aut voluntate propria subditorum (e. g. antiquitus in hero erga famulum, qui contractum cum illo habet). In statibus canonicis perfectionis potestas dominativa oritur utraque ratione: Una ex parte institutum perfectionis ab Ecclesia approbatum natura rei cum approbatione obtinet potestatem ad proprium finem obtinendum; altera ex parte voluntate membrorum non tantum efficitur *subiecto* sub hac potestate instituti (nemo cogitur ad ingrediendum tale

institutum nec legitime cogi potest), sed voluntate membrorum haec potestas etiam admittitur in ordine ad propriam perfectionem personalem obtinendam. Nam in statibus canonicis perfectionis agitur de acquirenda perfectione christiana; hinc potestas instituti admittitur voluntate membrorum etiam in ordine ad bonum personale eorum, circumscripta utique et restricta, prouti hoc iure communi et propriis constitutionibus instituti statuitur.

Immo voluntate membrorum non tantum habetur subiecto eorum sub hac potestate publica obiective iam existente per approbationem instituti ex parte auctoritatis ecclesiasticae; potius voluntate membrorum con-constituitur ipsa potestas dominativa in ordine ad perfectionem personalem; nam hic agitur de constituenda subiectione quoad sphaeram stricte personalem (dominium bonorum temporalium, matrimonium, autonomia quoad vitam personalem et professionem), i.e. quoad sphaeram, quae qua talis ab Ecclesia non tangitur nec tangi potest. Ut fideles quoad hanc sphaeram subiecti sint, requiritur, uti iam dictum est, consensus subiecti, qui — sicuti consensus matrimonialis — nulla humana auctoritate suppleri potest.

Porro potestas dominativa, quatenus ab Ecclesia cum approbatione instituti confertur, natura posterior est fidelium unione, libera voluntate in ordine ad perfectionem christianam condita; deficientibus enim fidelibus ita se unientibus tale institutum non habetur, nec approbatur, nec per-

durat[13]. Etsi igitur tale institutum ad statum canonicum perfectionis pertinet ex approbatione Ecclesiae, tamen character charismaticus originis instituti semper pedurat in *voluntaria aggregatione* novorum membrorum. Approbatio Ecclesiae non habet rationem formae abstracte in se stantis, sed potius habet rationem formae canonicae, quae informat realitatem socialem exsistentem et semper se renovantem per aggregationem novorum membrorum. Hinc potestas dominativa, etsi qua publica cum approbatione ab Ecclesia habetur, et ab ipsa tantum haberi potest, tamen vere *constituitur* in ordine ad perfectionem personalem per voluntatem membrorum libere se aggregantium unioni. Proinde consensus membrorum quoad potestatem dominativam constituendam est vera *causa efficiens,* non tantum conditio, quia conditio nihil operatur, hic consensus autem vere operatur.

Potestas dominativa in singulis institutis perfectionis *duplicem rationem formalem* consequenter continet: et publicam et privatam[14]. Haec po-

---

[13] Etsi persona moralis canonica non eo ipso, quod membra deficiunt, exstinguitur, tamen persona moralis canonica iure exstinguitur, «si per centum annorum spatium esse desierit.» (can. 102 § 1.)

[14] Sententia potestatem dominativam in religionibus (praesertim clericalibus non exemptis) habere indolem publicam proponitur ac strenue et erudite defenditur ab A. Larraona, *De potestate dominativa publica in iure canonico,* in: Acta Congressus Iuridici Internationalis, 1934, Vol. IV. Romae 1937, 147 ss. — Responsum Commissionis ad Interpr. CIC diei 26. martii 1952 (AAS 1952, 497), quod praescripta canonum 197, 199, 206-209, de potestate iurisdictionis, applicanda sunt, nisi natura rei aut textus contextusve legis obstet, potestati dominativae quam habent Superiores et Capitula in Religionibus et in Societatibus sive viro-

testas est publica, quatenus — orta ex natura rei cum approbatione ab Ecclesia — directe ad bonum commune talis instituti ordinatur; privata est, quatenus — orta etiam voluntate membrorum — directe ad bonum personale membrorum ordinatur. Auctores antiqui affirmantes indolem privatam potestatis dominativae hanc indolem iure meritoque efferebant. Auctores, qui hodie affirmant indolem publicam potestatis dominativae in statibus canonicis perfectionis, iure meritoque hanc indolem publicam potestatis dominativae qua institutionis iuris canonici efferunt.

Hinc haec potestas necessario est publica, quando exercetur in ordine ad negotia iuridica iuris publici seu ad effectus iuridicos publicos obtinendos, e. g. quoad monitiones, quae dimissionem religiosi praecedere debent. Haec potestas est privata, quando exercetur in ordine ad negotia iuridica iuris privati, e. g. ad obtinendam assiduitatem membri instituti in exercitiis pietatis ratione boni eius spiritualis. De cetero idem actus potest esse — et revera ita est saepissime in praxi — directe ordinatus et in bonum commune instituti et

---

rum sive mulierum in communi viventium sine votis publicis, facile intelligitur, si supponitur indoles publica talis potestatis dominativae. Etiam « publica ecclesiastica potestas » (praeter potestatem iurisdictionis), de qua sermo est in can. 305 § 1 iuris Orientalium de verborum significatione (AAS 1952, 145) vix non est referenda, respective etiam referenda est ad hanc potestatem dominativam. Cf. etiam can. 153 iuris Orientalium de personis (AAS 1957, 476.) Altera ex parte in can. 501 § 1 CIC tantum de potestate dominativa est sermo in religionibus non exemptis; hinc iure concludi posse videtur potestatem domesticam — si haec ex natura rei habetur in religionibus — practice saltem absorberi per potestatem dominativam.

in bonum personale membri sub alio et alio respectu, e. g. destinatio membri ad talem domum, tale munus etc.; consequenter potestas, qua talis actus imponitur, simul est indolis publicae et privatae. Ita stricta conexio inter ius privatum et publicum in ipsa natura potestatis dominativae etiam se manifestat.

Convenit igitur potestas dominativa cum potestate iurisdictionis, quatenus utraque potestas ad bonum commune ordinatur et hinc est indolis publicae; differt inter alia ab ipsa eo, quod potestas iurisdictionis (propriae — a vicaria divina hic abstrahitur —) natura sua directe et immediate non ordinatur in bonum personale fidelium. Verum quidem est exercitium potestatis iurisdictionis in foro interno directe et immediate ordinari ad bonum personale fidelium; attamen finis Ecclesiae et hinc bonum commune *exercitium* potestatis iurisdictionis exigit solvendi causa ad bonum personale. Ipsa potestas igitur iurisdictionis, quae in foro interno exercetur, ipsum forum internum *qua institutio canonica* est iuris publici, etsi *exercitium* potestatis in foro interno fit in bonum personale fidelium et ita effectum iuris privati habet [15]. E contra potestas dominativa, etsi qua institutio canonica etiam est publica, utpote ordinata ad bonum commune talis instituti, etiam *qua potestas* est privata, quia qua potestas ordinatur etiam ad

---

15 Neque negamus potestatem iurisdictionis fori externi exerceri posse in bonum personale fidelium; immo etiam si potestas iurisdictionis fori externi exercetur ad bonum commune, est indirecte etiam in bonum personale fidelium. Cf. studium auctoris: De natura iuridica fori interni Ecclesiae, Periodica 1951, 307 ss.

perfectionem personalem membrorum obtinendam et qua talis in concreto non habetur, quin accedat consensus eorum, qui unione libera constituunt institutum perfectionis. Hinc exercitium potestatis dominativae non habet tantum effectum iuris privati; sed ipsa potestas habet indolem privatam, quam potestas iurisdictionis qua potestas non habet [16].

e. *De variis gradibus publicitatis iuridicae in statibus canonicis perfectionis.*

Manifestum est indolem publicam in variis statibus perfectionis non esse eiusdem gradus [17]. Ut incipiamus cum Institutis saecularibus: Hic minor publicitas iuridica habetur quam in religionibus. Vere etiam Instituta saecularia exigunt, ut membra vitam privatam et exercitium propriae professionis vel muneris (quod ordinarie est ad servitium hominum in mundo) ordinent ad perfectionem christianam secundum normas iuris communis et

[16] Qui in instituto perfectionis praeter potestatem dominativam publicam non admittit privatam, logice admittit potestatem dominativam publicam exerceri etiam in foro interno. Cum autem admittamus ipsam potestatem dominativam esse etiam indolis privatae, qua ordinatur directe in bonum personale, non est ratio admittendi forum internum pro exercitio potestatis dominativae. Actus, qui in bonum privatum ordinatur, de se est occulte exercendus, nisi accedat ratio boni communis. Cf. studium auctoris citatum in nota 15.

[17] Larraona (l. c. 149 ss.) affirmat publicitatem potestatis dominativae congruere gradui publicitatis iuridicae respectivae religionis. Hinc iure concluditur publicitatem potestatis dominativae varios gradus admittere in religionibus et consequenter maiorem gradum haberi in religione clericali non exempta, quia hic haec potestas magis accedit ad potestatem iurisdictionis.

proprii instituti. Ligamina paupertatis, castitatis, obedientiae limites designant, infra quales vita personalis, privata et exercitium professionis vel muneris proprii se continere debent. Talis restrictio libertatis quoad sphaeram personalem hanc sphaeram hoc sensu determinationi per vitam communem subiicit. Attamen haec non fiunt in communi; non habetur vita communis *sensu technico* iuris communis religiosorum, sed de se singula membra ipsa vitam concretam et laborem concretum determinant; concreta actuatio vitae ad finem Instituti saecularis ordinandae magna ex parte est apud membra Instituti saecularis, quatenus *private* vivunt et private professionem vel munus proprium exercent. Publicitas iuridica igitur hic habetur, quatenus sphaera personalis, privata institutionaliter publica reddita est et et hinc proprium bonum commune habetur; non autem fit per institutum determinatio concreta sphaerae personalis, privatae. Proinde in Institutis saecularibus sphaera privata est maior — quia non habetur vita communis sensu technico — minor inde est publicitas iuridica.

In religionibus autem publicitas iuridica habetur non tantum ratione sphaerae personalis, privatae institutionaliter publicae redditae; potius etiam actuatio concreta vitae membrorum ordinandae ad proprium religionis finem et exercitium muneris proprii eorum fit in communi, in communitate, quatenus habetur vita communis *sensu technico iuris religiosorum*. Proinde eatenus religio vitam et activitatem singulorum magis afficit, quatenus fiunt in communi: religio a membris renuntiationem libertatis personalis quoad vitam et activitatem pri-

vatam magis exigit quam Instituta saecularia, in favorem vitae communis propriae religionibus. Ergo *ratione vitae communis sensu technico* habetur in religionibus maior publicitas iuridica quam in Institutis saecularibus; minorem extensionem inde habet sphaera privata in religionibus.

Porro distinctio professionis religiosae in simplicem et solemnem efficit differentiam quoad vitam communem et consequenter quoad publicitatem iuridicam. In quantum professione religiosa respectiva negotia iuridica tantum prohibentur, habilitas ad talia negotia iuridica non aufertur. Iamvero *professio simplex* determinata negotia iuridicia prohibet, professio solemnis aufert etiam habilitatem ad determinata negotia iuridica, scl. ad acquirenda bona in dominium proprium, ad contrahendum valide matrimonium. Consequenter in Ordinibus (in quibus *professio solemnis* de se habetur) sphaera privata magis restringitur quam in Congregationibus religiosis (in quibus professio simplex habetur). Strictior habetur vita communis in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, in quibus de se proprietas bonorum patrimonialium conservari et augeri potest, dum solemniter professus omnia bona acquirit in favorem Ordinis (si Ordo est capax illa acquirendi), quia habendi et acquirendi bona tamquam propria est incapax.

Hinc maior restrictio sphaerae privatae membrorum religionis maiorem extensionem vitae communis significat; quo magis enim sphaera privata restringitur, eo magis membra ligantur religioni, eo magis ratio « membri » religionis seu ratio « religiosi » personam afficit. Hinc maior extensio vitae

communis maiorem publicitatem iuridicam efficit. Ergo ratione professionis solemnis habetur in Ordinibus maior publicitas iuridica quam in Congregationibus religiosis, quia in istis professio simplex habetur.

In genere igitur dici potest et debet: Quo maior publicitas iuridica in statibus canonicis perfectionis habetur, eo minor fit sphaera privata, seu sphaera determinationi personali relicta quoad vitam et munus exercendum. Consequenter gradus publicitatis potestatis dominativae publicae correspondet gradui publicitatis iuridicae respectivi status canonici perfectionis et instituti singularis perfectionis, quia potestas dominativa publica qua institutio canonica se extendit ad sphaeram publicam relationum iuridicarum in tali statu perfectionis et in tali instituto. Hinc minor gradus publicitatis potestatis dominativae habetur in Institutis saecularibus quam in religionibus, minor in Congregationibus religiosis quam in Ordinibus

Tandem *religioni clericali exemptae* specialis publicitas iuridica competit ratione exemptionis. Religio clericalis exempta gaudet potestate iurisdictionis propriae, quae a potestate dominativa publica etiam specie, non tantum gradu, differt. Religio exempta enim non habet tantum potestatem dominativam, sed veram potestatem ecclesiasticam ad instar Episcoporum: hinc veram potestatem iurisdictionis non exclusa iurisdictione stricte iudiciali nec exclusa vera potestate legislativa. Ratione potestatis iurisdictionis propriae religioni clericali exemptae *specifica publicitas iuridica* competit, quatenus hac potestate constituit in Ecclesia (sub

suprema potestate) unionem autonomam ad modum dioecesis, etsi non territorialiter, sed personaliter constitutam.

Exempti sunt Ordines, i.e. religiones, quae de se habent professionem solemnem seu vitam communem magis extensam. Non immerito igitur concludi potest exemptionem religionis clericalis exemptae haberi *ratione magis extensae vitae communis,* qua religio magis devincitur et ligatur operibus religionis, apostolatus et caritatis, et ita magis devincitur Ecclesiae. Ligatio maior ad talia opera, i. e. talis strictior ligatio ad finem Ecclesiae, subiectionem directam et exclusivam (infra ambitum iuris communis) sub suprema potestate convenientem reddit ad talia opera efficacius actuanda.

Ergo : *Quo magis institutum perfectionis vitam communem* (non necessario sensu technico) *colit, eo magis devincitur Ecclesiae, eo maior ipsi competit publicitas iuridica in Ecclesia.*

Conclusiones

I.

Vita socialis exigit ordinem externum seu organisationem. Haec organisatio refertur ad socialitatem hominis qua talem communem omnibus et ideo constituit bonum commune sensu technico. Variae uniones sociales indolis organisatoriae sub ratione formali particulari, propria vitam socialem ordinant ; talis ordo externus tamquam bonum commune proprium designari solet. Etsi omnis activi-

tas socialis membrorum sub ratione formali respectivae unionis socialis est ordinanda ad bonum commune, ipsum bonum commune ordinatur ad totalitatem membrorum unionis, quatenus sunt personae.

Proinde homo qua persona in vita sociali est et manet subiectum iuris; altera ex parte societas organisatoria est subiectum iuris quoad omnia, quae requiruntur ad bonum commune obtinendum. Distinguenda igitur est sphaera iuridica personae qua talis a sphaera iuridica societatis qua talis. Sphaera iuridica personae ius privatum, sphaera iuridica societatis ius publicum constituit. Hinc distinctio iuris in privatum et publicum habet fundamentum metaphysicum, scl. structuram metaphysicam societatis organisatoriae, ex qua etiam cõnexio inter ius publicum et privatum explicatur.

II.

Finis internus Ecclesiae est bonum supernaturale modo humano, i.e. externo, habendum. Ratione huius finis necessaria est organisatio vitae socialis, quae ideo bonum commune supernaturale sensu technico constituit. Fideles ordinantur ad Ecclesiam societatem humanam ratione boni communis supernaturalis; altera ex parte bonum commune supernaturale est propter personalitatem fidelium perficiendam supernaturaliter. Personalitas enim hominis charactere baptismali supernaturaliter elevatur; hinc baptizato conveniunt iura fundamentalia christianorum seu facultates agendi necnon exigendi et recipiendi ab Ecclesia media necessaria ad finem supernaturalem obtinendum.

Ecclesia, societas humana, est subiectum iuris quoad omnia, quae ad bonum commune supernaturale obtinendum requiruntur. Baptizatus est subiectum iurium et officiorum ordinis supernaturalis. Proinde distinctio inter ius privatum et publicum necessario habetur etiam in ordinatione canonica. Maior restrictio iuris privati ratione boni communis supernaturalis explicatur ex fundamento theologico personalitatis in ordine supernaturali, i. e. ex relatione baptizatorum ad Christum Dominum, in quo omnes baptizati unionem constituunt, unionem Corporis Christi, i. e. Ecclesiae.

III.

Electio libera status vitae est ius fundamentale omnium fidelium. Vita trium consiliorum evangelicorum habetur status vitae obiective perfectioris in Ecclesia. Si talis vita agitur modo privato, non sociali, specialia ligamina ad Ecclesiam non oriuntur. Si talis vita agitur modo sociali, bonum commune supernaturale tangitur, eo magis, quod generatim etiam bonum supernaturale particulare a tali unione sociali intenditur. Hinc talis unio socialis indiget approbatione Ecclesiae. Afficit institutum perfectionis totam vitam socialem membrorum sub ratione finis proprii; in specie afficit etiam sphaeram personalem, privatam — constitutam consiliis evangelicis — quae voluntate membrorum attribuitur vitae communi (non necessario sensu technico iuris religiosorum). Proinde haec sphaera institutionaliter redditur publica.

Ratione proprii boni communis instituto per-

fectionis ab Ecclesia approbato competit publicitas iuridica et consequenter partem constituit status canonici perfectionis Ecclesiae (Ordines, Congregationes religiosae, Instituta saecularia). Proinde in statibus canonicis perfectionis Ecclesiae institutiones iuridicae sunt iuris publici; negotia iuridica et relationes iuridicae autem sunt publicae aut privatae, prouti directe in bonum commune aut in bonum personale ordinantur. In specie incorporatio in tale institutum est iuris publici; si fit per vota, haec publica habenda sunt. Iuris privati est praesertim destinatio membrorum ad determinatam domum et munus. Saepe tamen idem actus iuridicus et iuris publici et iuris privati est sub alio et alio respectu.

Potestas instituti perfectionis, i. e. potestas dominativa, quatenus ad bonum commune proprium instituti ordinatur, est publica. Haec potestas oritur natura rei cum approbatione instituti per auctoritatem ecclesiasticam. Quatenus potestas dominativa instituti ordinatur ad bonum personale membrorum, est iuris privati, non tantum quoad effectum, sed potestas natura sua, quia quoad sphaeram personalem, privatam — consiliis evangelicis circumscriptam — tantum voluntate membrorum subiectio oriri potest; hac voluntate deficiente institutum non oritur. Idem autem actus potestate dominativa publica et privata imponi potest sub alio et alio respectu.

Gradus publicitatis iuridicae institutorum perfectionis — et consequenter potestatis dominativae — determinatur extensione vitae communis. Minor gradus publicitatis — respectu religionum — ha-

betur in Institutis saecularibus; etsi enim in Institutis saecularibus vita communis habetur ratione consiliorum evangelicorum, tamen ipsa vita communi sensu technico iuris religiosorum carent. Maior gradus publicitatis habetur in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis ratione maioris extensionis vitae communis sensu technico, quam exigit professio solemnis. Religioni clericali exemptae ratione exemptionis, quatenus gaudet propria potestate iurisdictionis, specialis publicitas iuridica competit. Tandem aliquando igitur gradus publicitatis iuridicae instituti perfectionis correspondet gradui, quo institutum devincitur Ecclesiae eo, quod vitam communem colit (non necessario sensu technico).

In statibus canonicis perfectionis omnibus igitur sphaera privata praesertim quoad vitam personalem et munus proprium exercendum restringitur essentialiter. Attamen restrictio libertatis personalis quoad vitam privatam et munus proprium non tantum natura sua — i. e. supposita conceptione christiana vitae — in perfectionem maiorem personalem ordinatur, sed etiam iuridice talis finalitas manifestatur eo, quod relationes inter institutum et singula membra, quae sphaeram privatam spectant, sunt revera iuris privati, aut etiam iuris privati, et hinc directe ordinatae in bonum personale membri.

Proinde membra statuum canonicorum perfectionis, etsi magna ex parte vere sui iuris non sunt, utpote subiecta potestati dominativae, sicuti sunt subiecta officiorum, immo officiorum gravium, sunt et manent subiecta iurium privatorum, immo iu-

rium maioris valoris, utpote ordinatorum ad maiorem perfectionem personalem. Etiam vita socialis perfectior consiliorum evangelicorum institutionibus iuridicis circumscribitur necnon negotiis iuridicis actuatur et relationibus iuridicis constituitur. Hinc ipsa dedicatio integra ad Dominum ordinata ad perfectionem maiorem personalem, qualis habetur in statibus canonicis perfectionis, ordinationem iuridicam admittit et revera habet. Hoc facto de novo manifestatur et confirmatur indoles theologica totius iuris canonici;ex altera parte inde sequitur fundamento carere assertum quoad vitam perfectiorem socialem consiliorum evangelicorum requiri normas alterius naturae praeter normas iuridicas; potius ipsa officia alta vitae perfectionis spiritualis et religiosae iuridice circumscribi possunt et circumscribi solent. Immo, etiam in statibus canonicis perfectionis vita socialis fit impossibilis, si ordo iuridicus aut non habetur aut non servatur.

Wilhelmus Bertrams S. J.

MATRIMONIUM AUT LEGITIMUM AUT INVALIDUM

Andreas, paganus, duxit Annam, privignam suam seu filiam uxoris suae defunctae, ex huius primo matrimonio. Anna est baptizata a quodam ministro protestante, et quidem ante eius matrimonium. De huius baptismatis validitate habetur dubium positivum et grave. Matrimonium exitum habuit infelicissimum. Primo anno a celebratione vix expleto Andreas Annam dimisit actu, qui in iure civili habetur validus, et aliam duxit. Nunc autem Simon, vir catholicus, cupit Annam ducere, quae se paratam declarat amplecti fidem catholicam. Anna adit missionarium, qui quaerit quid in hoc casu facere possit et debeat? Aliquis confrater ei dixit recurrendum esse ad S. Officium, quia agitur de matrimonio inter personam infidelem et personam dubie baptizatam. De tali casu S. Officium authenticam edidit declarationem, quae statuit recurrendum esse in singulis casibus ad S. Officium [1].

1. Certum est quod inter Andream et Annam existit illa relatio, quae vocatur affinitas et de qua est sermo in can. 97 et 1077 [2]. Hoc certum est iam

---

[1] Supponimus relationem affinitatis ita proximam scilicet inter virum et privignam seu in primo gradu, in patria Andreae et Annae non esse impedimentum dirimens iure civili vigens, saltem iure consuetudinario. Si haberetur huiusmodi impedimentum civile, matrimonium Annae esset certo invalidum et dubium tantummodo haberetur utrum matrimonium sit invalidum ob impedimentum iuris canonici an ob impedimentum iuris civilis.

[2] L. Bender, *Normae generales de personis*, n. 203-221, Romae 1957, apud Desclée. Vlaming-Bender, *Praelectiones Iuris*

ex solo textu canonis 97. Insuper ex ultimis actis S. Sedis, scilicet ex mutatione formulae qua affinitas definitur in Constitutionibus Apostolicis « Crebrae allatae » [3] et deinde « Cleri Sanctitati » [4]; et ex declaratione authentica S. Officii, semper clarius nobis innotescit quod inde a tempore quo vigere coepit Codex affinitas oritur ex quolibet matrimonio valido, etiam a matrimonio inter non baptizatos, a. v. independenter a baptismo coniugum, sicut ante Codicem oriebatur e qualibet copula carnali independenter a baptismo coeuntium.

2. Impedimentum autem affinitatis, utpote iuris ecclesiastici, non obligat nisi personas baptizatas. Si inter duas personas vigeat affinitas, eorum matrimonium est invalidum, *dummodo saltem alterutra sit baptizata.* Si ambae sint infideles, earum affinitas non constituit *impedimentum* affinitatis.

3. Status iuridicus Annae est hic. Si sit reapse

Matrimonii[4] p. 259-263 (Bussum in Hollandia, 1950). L. BENDER, *Impedimentum affinitatis,* in *Periodica* 1957; idem *Impedimentum affinitatis* in *Ephemerides Iur. Can.* 1948; idem: *Dubium Iuris in canone 15,* ibid. 1955. Declaratio S. Officii ultimo data (31 jan. 1957) nihil aliud facit quam quoad rem hic disceptatam, scilicet de necessitate baptismi in utroque coniuge, quorum actus aut status est causa affinitatis, repetere doctrinam iuridicam quam iam saepius proposuit suis declarationibus ante Codicem. I. a.: Instructione ad Ep. Quebecen, 16 Sept. 1824 (Fontes IV, n. 866); ad Vic. Apost. Nankin, 26 Aug. 1891 (ibid. n. 1145).

[3] In ipsa habetur Codificatio Iuris Orientalium de Matrimonio, promulgata die 22 Februarii 1949. Vide can. 69 huius collectionis.

[4] In ipsa habetur Codificatio Iuris Orientalium « De ritibus orientalibus et de personis », promulgata die 2 januarii 1957. Vide can. 86. Normas novas quae in hac collectione declarantur etiam respicere fideles *latinos* explicavi in libro meo « Normae generales de personis », Romae, 1957, apud Desclée.

baptizata, eius matrimonium cum Andrea est invalidum. Si reapse non sit baptizata, eius matrimonium cum Andrea est validum. Quapropter ipsa est aut libera ad ineundum aliud matrimonium, aut ligata vinculo matrimonii *legitimi* (matrimonii inter duos infideles). Hoc dubium autem solvi nequit, a. v. ignoramus utrum habeatur hic vel ille status.

4. Erronee missionarii confrater perhibet casum regi declaratione S. Officii, data 10 Iunii, 1937. Error intelligi potest et excusari in missionario. Nam idem error aliquando committitur a canonistis, uti apparet ex articulo professoris Abate in « Euntes docete » [5]. Revera hic casus non regitur dicta declaratione. Nam haec declaratio respicit casus, in quibus *ipsum matrimonium est certo validum,* sed habetur dubium utrum sit matrimonium validum inter partem fidelem et partem infidelem ratione dubii circa baptismum alterutrius coniugis [6].

---

[5] A. ABATE, *L'impedimento di affinità contratto da un cattolico dubbiamente battezzato,* in *Euntes docete,* 1957, p. 470.

[6] Nihil refert utrum sint *baptizati in Ecclesia Catholica,* an alio modo, in sensu quem haec verba habent in iure canonico et in Codice (c. 1070 et 1099). Impedimentum affinitatis valet pro *omnibus baptizatis,* etiamsi ipsi hoc omnino ignorent et agant perfecta bona fide, tenentes se non obligari legibus Ecclesiae Catholicae.

Minus recta et aliqualiter decipiens est assertio: « ad observantiam legum ecclesiasticarum tenentur ii, qui sunt dubie baptizati ». (Vide: *Euntes docete,* 1957, p. 475). Si hoc esset verum, matrimonium Annae esset certe invalidum. Ipsa enim est dubie baptizata et contraxit in adiunctis in quibus Ecclesiae subditi invalide contrahunt matrimonium. Doctrina exacta est alia. Dubie baptizati forsitan reguntur legibus ecclesiasticis et ideo lege de impedimento affinitatis. Quapropter ante celebrationem ipsi debent se gerere secundum id quod prudentia pro tali statu docet, i. e. se abstinere a matrimonio cum persona cum qua relationem habent

In tali casu viget dubium utrum habeatur casus paulinus annon. A. v. habetur res dubia de qua agit canon 1127 : « in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris ». Qui in tali casu dubio applicat privilegium paulinum, se exponit periculo ut sic agat cum matrimonio quod non constituit casum paulinum. S. Sedes (S. Officium) non permittit ut *alii* hoc faciunt propria auctoritate, sed exigit ut in singulis casibus invocetur interventus S. Officii.

Casus Annae non est sic. Eius matrimonium non est aut matrimonium validum inter duos infideles aut matrimonium *validum* inter personam baptizatam et personam infidelem. Eius matrimonium est aut matrimonium inter duos infideles aut matrimonium *invalidum* inter personam baptizatam et personam infidelem. Ratione enim impedimenti affinitatis exclusum est ut Anna, si baptizata, sit *valide* coniugata cum Andrea.

Haec est ratio qua casus non attingitur declaratione S. Officii requirente recursum ad S. Officium in singulis casibus [7].

---

affinitatis, aut prius dispensationem petere ab hoc impedimento, ad cautelam. Post celebrationem autem viget dubium de matrimonii validitate. Si tempore celebrationis fuerint reapse non baptizati, impedimentum reapse non obstabat ideoque matrimonium validum est. Ex hoc apparet quod lex ecclesiastica non valet pro dubie baptizatis. Valet pro baptizatis. Dubium non aliquid *efficit* in hac re. Modus loquendi modo reprobatus contrarium suggerit. Propterea est evitandus.

[7] Ob eandem rationem casus non attingeretur eiusdem declarationis numero I, si Andreas et Anna essent ambo dubie baptizati. Declaratio S. Officii constat duobus numeris. In n. I agitur de casu quo ambo coniuges sunt dubie baptizati; in n. II de casu quo alteruter est dubie baptizatus, alius infidelis. N. I sonat: « utrum matrimonio contracto a duobus acatholicis dubie bapti-

5. Hoc probato et admisso, quaeritur quo modo procedendum est ut Anna possit contrahere cum Simone?

Anna est aut libera aut a novo matrimoino contrahendo retinetur vinculo matrimonii *legitimi* cum Andrea. Habetur igitur unum solum obstaculum scilicet matrimonium legitimum dubie validum. Evidens est quod in tali casu recte, valide et licite, proceditur, si fiant ea quae requiruntur et sufficiunt in casu quo habetur matrimonium legitimum certo validum. Actus enim qui sufficit ad solvendum matrimonium certo validum, etiam sufficit ad solvendum idem matrimonium si est dubie validum [8]. Quare, recte et tuto proceditur, si Anna utatur privilegio paulino ad normam canonum 1120-1124. Ad hoc requiritur, ut prius sub conditione baptizetur; dein-

zatis in casu dubii insolubilis circa baptismum possit permitti alterutri parti, ad fidem conversae, usus privilegii paulini vi c. 1127. Resp.: Negative ». Ratio autem qua hoc fieri nequit est, prout omnes canonistae docent, quia in tali casu datur probabilitas ut uterque sit reapse baptizatus ideoque matrimonium sit *ratum et consummatum,* ad quod dissolvendum nec suprema Ecclesiae potestas sufficit. S. Sedes non potest se exponere periculo exercendi potestatem dissolvendi, erga matrimonium ad quod dissolvendum non habet potestatem, ita ut matrimonium post exercitium potestatis maneret validum. (Conf. Sartori. Enchiridion Can. 9 ad c. 1127).

Haec autem probabilitas vel etiam possibilitas aut periculum nullatenus habetur, si isti duo coniuges sint affines in primo gradu. Tunc enim matrimonium nequit esse ratum, quia si partes sint reapse baptizati matrimonium est invalidum ob impedimentum affinitatis. Qui hunc casum traheret sub declarationis n. I, admitteret quod S. Officium declaravit matrimonium legitimum dubie validum non posse dissolvi usu privilegii paulini. Hoc certissime non est sensus huius declarationis.

[8] Patet quod regula supponit quod certitudo et dubium respiciunt matrimonium de cetero in iisdem adiunctis.

de ut interpellationes faciat ad normam can. 1121-1122, et obtenta responsione negativa contrahat cum Simone. Hoc secundo matrimonio primum ipso facto dissolvitur si existat. Si non existat, non necessarium est ut dissolvatur, ut patet. Nam tunc ratione impedimenti affinitatis Anna gaudet plena libertate contrahendi cum Simone.

Quapropter, quoties nulla detur ratio ob quam interpellationes fieri nequeunt, a. v. si interpellationes absque gravi incommodo fieri possint, nulla datur necessitas recurrendi ad S. Officium, sed missionarius cum Ordinario loci omnia peragere potest.

6. Sane, recursus ad S. Officium numquam est prohibitus. Attamen, huiusmodi recursus non sunt faciendi, si certum sit nullam dari obligationem. Et hoc praeprimis, quia recursus impedit negotii expeditam absolutionem. Sed datur adhuc alia ratio. Ipsa Congregatio S. Officii iam multis gravatur laboribus. Evitandum est ut adhuc gravetur delatione negotiorum absque necessitate.

7. His dictis, casus propositus est in tantum absolutus, ut indicata est via per quam est procedendum, nisi habeantur difficultates speciales. Cum autem de huiusmodi difficultatibus in casus positione nihil dicatur, de iis in ipsa solutione casus non est agendum.

8. Non tamen inutiliter movetur quaestio utrum Anna teneatur ad interpellationes faciendas. a. v. an possit eas omittere et simpliciter contrahere alias nuptias. Clarum est quod intendimus: omittere interpellationes *absque declaratione S. Sedis* de qua est sermo in can. 1123. Nam quod Anna omit-

tere potest interpellationes cum hac declaratione obtenta nullo dubio obnoxium esse potest.

9. Non desunt auctores qui docent in casu Annae interpellationes non esse obligatorias [9]. Ipsi nituntur canone 1127 : « in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris ». In casu Annae habetur matrimonium legitimum, sed viget dubium circa validitatem huius matrimonii. Novum matrimonium ineundum est in favorem fidei. Inire hoc matrimonium igitur est usus privilegii fidei. Sed privilegium fidei gaudet favore iuris, quod significat : in dubio de validitate matrimonii legitimi obstantis matrimonio quod est in favorem fidei, pro praxi eligenda est solutio dubii quae est in favorem fidei et ideo contra validitatem matrimonii legitimi. Est practice procedere ac si hoc matrimonium sit certo invalidum. Si autem matrimonium sit invalidum, nulla datur obligatio faciendi interpellationes. Casu quo persona conversa esset reapse ligata vinculo matrimonii legitimi, vi huius canonis 1127 alterum matrimonium nihilominus esset validum; et primum esset solutum, interventu scilicet implicito supremae potestatis ecclesiasticae. Haec enim, statuens hunc canonem 1127, intendit suam exercere potestatem in quantum hoc necessarium est ut agentes secundum canonem 1127 semper valide agant (eodem modo ac Ecclesia sua potestate intervenit in casibus, de quibus in can. 1125).

Haec est etiam ratio ob quam ab hoc canone 1127 exceptus manet casus in quo habetur dubium

---

[9] BOUDON, *Memento du Privilège Paulin*, p. 74. W. Mulder in *Ned. Kath. Stemmen*, 1937 e. a.

de *utriusque* partis baptismate. Tunc enim habetur possibilitas et probabilitas quod habetur matrimonium *ratum et consummatum*. Ad huiusmodi matrimonium solvendum potestas Ecclesiae non se extendit.

Secundum doctrinam istorum canonistarum Anna potest contrahere novum matrimonium, quin faciat interpellationes et hoc absque declaratione S. Sedis ad normam can. 1123.

10. Utrum haec conclusio admitti possit dependet a doctrina de indole canonis 1127. Canonistae non consentiunt de indole huius canonis. Plures dicunt hunc canonem esse normam agendi pro omnibus fidelibus. Alii tenent canonem statuere normam quam in istis casibus dubiis tractandis secuturum est S. Officium. In hac secunda interpretatione sensus canonis sic circumscribitur: quoties desit certitudo quod in casu prius matrimonium (sive certo sive dubie existens) solvatur applicatione canonum 1120-1126, recurrendum est ad S. Sedem. Ipsa autem tunc adhibebit suam potestatem, qua dissolvere potest quodlibet matrimonium quod non est *ratum et consummatum*, ad permittendum ut persona conversa id agat quod est in favorem fidei. Si vera sit haec secunda interpretatio, Anna non potest propria auctoritate interpellationes omittere, sed si velit eas omittere ob causam sufficientem gravem, debet recurrere ad S. Sedem. Nonnisi post declarationem obtentam de qua in c. 1121 § 2 potest ad novas transire nuptias.

11. Mihi videtur vera esse haec secunda interpretatio. Rationes quae me movent sunt:

a) Ante Codicem ius in praxi et stylo Curiae

servatum erat huic interpretationi consentaneum. Canon 1127 videtur esse codificatio iuris antea vigentis.

Contra hanc rationem obiicere quis potest Codicem non semper referre ius antiquum, sed quandoque etiam afferre mutationes. Hoc proprie in materia privilegii fidei applicandi Codex fecit in c. 1125.

Attamen, huiusmodi sensus iuri antiquo contrarius debet clare apparere. Secus non est admittendum, ad normam canonis 6: a iure veteri non est recedendum. Mihi videtur haec claritas in canone 1127 deesse.

b. Viri competentes in rebus S. Officium spectantibus tenent mentem esse huius S. Officii quod pro omnibus casibus, quibus applicatur canon 1127 recurrendum est ad S. Sedem. P. Cornelius Damen [10], tempore quo curavit ultimas editiones manualis valde noti « Theologia Moralis » (Aertnys-Damen) scribit: « Favor autem iuris in tali dubio in eo est quod, non obstante dubio, novum matrimonium *a competente auctoritate Ecclesiae* permitmitti potest in favorem libertatis partis quae ad fidem convertitur. Competens autem auctoritas Ecclesiae in hac re est sola Congregatio S. Officii, nisi pro aliquo casu S. Sedes Ordinario loci aliquam facultatem cencesserit » [11]. Etiam hic quaedam dantur obiectiones, scilicet:

1. Difficile admitti potest ius ita esse in re tan-

---

[10] P. Damen erat canonista et per multos annos professor theologiae moralis in athenaeo pontificio « De propaganda fide », et consultor Congregationis S. Officii.

[11]. O. c. II, n. 922.

ti momenti et S. Congregationem, scientem sententiam contrariam a pluribus propugnatam et praxim contrariam, tacere et non manifestare hanc suam mentem aliqua declaratione authentica, qua error et dubium amoveretur.

2. Ex hoc quod S. Officium declaravit recurrendum esse in singulis casibus si agatur de persona dubie baptizata, videtur merito deduci non esse recurrendum in aliis casibus dubiis. Qui suam declarationem expressis verbis restringit ad casum determinatum, videtur excludere alios casus. Secus haec restrictio nullum habet sensum [12].

Ad has obiectiones respondendum esse videtur:

Ad 1. Non tam raro contingit ut S. Sedes per longum temporis spatium taceat omittens dare aliquam declarationem authenticam, etiamsi agatur de re magni momenti. E. g. circa naturam affinitatis; circa errorem communem (an sufficit error sic dictus de iure; utrum applicetur etiam potestati delegatae ad assistendum matrimonio); de sensu verborum « ab acatholicis nati »; de exercitio potestatis can. 1045 concessae erga omnes in territorio superioris commorantes; de Ordinarii loci potestate dispensandi exercenda erga peregrinos etiam pro materiis pro quibus hoc non expresse conceditur, ut fit in c. 1043, 1245, 1313.

Ad 2. Ratio qua de parte alicuius materiae datur aliqua declaratio non semper est, quia id quod declaratur non valet de aliis partibus. Ratio etiam

---

12 Hoc tunc valeret pro quolibet casu dubii probabilis, exceptis duobus casibus de quibus S. Officium declaravit aut applicationem privilegii nullatenus fieri posse aut recurrendum esse ad S. Officium in singulis casibus, uti supra exposuimus.

esse potest, quia declaratio est responsio ad dubium ab aliis propositum, quod dubium non loquitur nisi de hac determinata parte materiae; de hoc determinato casu.

Tertia obiectio habetur, scilicet: norma Codici inserta est norma agendi pro omnibus fidelibus, nisi natura rei aliud exigat aut verba canonis aliud declarent. Sequitur ut omnes possint applicare normam canonis 1127, nisi pro casibus pro quibus declaratio S. Officii contrarium statuerit. Natura rei non exigit ut recurratur ad Apostolicam Sedem in quolibet casu.

Respondeo quod hoc « aliud statuere » non necessario fieri debet verbis canonis qui de hac re agit. Hoc etiam fieri potest aliis modis, sive explicitis verbis sive implicite. Quod hic agitur de norma applicanda a legitima auctoritate, quae est Apostolica Sedes, implicite habetur statutum in facto quod canon refert normam vigentem iam ante Codicem et semper sic explicatam et applicatam.

L. Bender, O. P.

DOCUMENTA AUTHENTICA CIRCA "PRECES POST MISSAM"

Finis articuli est: exhibere praecipua Documenta authentica circa « Preces post Missam » in unum collecta, ut eis prae manibus sint, qui eis uti volunt sive ad inquisitionem scientificam sive ad finem practicum.

Ex Documentis apparet: « Preces » non pertinere ullo modo ad « Missam » (neque tamquam aliqua eius pars, neque tamquam eius complementum liturgicum); semper dicuntur « Preces *post* Missam »; idem probat quoque externus modus quo Preces recitandae sunt. — Exhibentur Documenta ordine chronologico inde ab anno 1884 usque ad annum 1930. Documenta respondent ad quaestiones: 1) an et quaenam Preces dicendae sint; 2) quonam loco et tempore in Liturgia Missae dici debeant (*post* Missam); 3) post quasnam Missas dici debeant; 4) quonam ritu externo peragendae sint; 5) quanam intentione eas dicere oporteat.

DOCUMENTA

I.

Decretum quo mandatur *nonnullas preces esse recitandas in fine cuiusque Missae, sine cantu celebratae, in omnibus* Urbis *et Orbis catholi-*

ci Ecclesiis. (S. C. Rit. die 6 Januarii 1884, (ASS, XVI, 239-240).)

« Iam inde ab anno... Itaque Sanctitas Sua per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum mandavit, ut in posterum in omnibus tum Urbis tum catholici Orbis Ecclesiis preces infra scriptae, ter centum dierum Indulgentiis locupletatae, in fine cuiusque Missae sine cantu celebratae, flexis genibus recitentur, nimirum:

« Ter *Ave Maria*, etc., semel *Salve Regina*, etc., et in fine:

'Ora pro nobis sancta Dei Genitrix',

'Ut digni efficiamur promissionibus Christi'.

Oremus

'Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus; ut, intercedente gloriosa et Immaculata Virgine Dei genetrice Maria, beato Joseph, ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, quod in praesentibus necessitatibus humiliter petimus, efficaciter consequamur. Per eundem Christum Dominum nostrum' ».

II.

Dubium quoad recitationem precum, post Missas, sine cantu celebratas. (S. Rit. Congr. 20 Augusti 1884. ASS, XVII, pg. 95), (*alternatim et flexis genibus dicendae*).

Quaesitum cum sit a S. C. Rit:

I. An preces post finem cuiusque Missae, sine cantu celebratae, in universa Ecclesia a SS.mo Dom. N. Leone Papa XIII nuperrime praescriptae, recitari debeant a Sacerdote *alternatim cum populo*; Et

II. An Oratio Deus Refugium cum suis versiculis ab ipsomet Sacerdote in casu recitanda sit,

prout AVE MARIA et SALVE REGINA, *flexis genibus?*

Sacra eadem Congregatio ... respondit ad utrumque DUBIUM: « Affirmative ».

III

Decretum S. C. Rit. d. d. 26 Aug. 1886 de precibus post Missam dicendis; *nova formula,* (iuxta *Il Monitore Eccles.,* XI (1886) pg. 150-1. Vol. IV. pars II).

Preces iussu Papae Leonis XIII in omnibus ORBIS Ecclesiis post privatae Missae Celebrationem flexis genibus recitandae:

Sacerdos ter dicat cum populo: AVE MARIA; deinde SALVE REGINA cum V. « Ora pro nobis etc. », et « Ut digni ... »

Oremus

« Deus refugium nostrum et virtus, populum ad te clamantem etc. ... ».

Addatur invocatio: « Sancte Michael, etc. ... divina virtute in infernum detrude. Amen ».

(*Textus prout hodie est in usu*)

IV.

Decretum de precibus praescriptis, *immediate post ultimum Evang. dicendis.*

« Preces a SS.mo O. N. Leone Papa XIII praescriptae recitandae sunt *immediate expleto ultimo Evangelio* ».

S. Rit. Congr. 23 Nov. 1887 (Decreta S. C. Rituum, n. 3682).

V.

Decretum S. C. Rit. d. d. 17 Junii 1904 *de concessa adiunctione invocationis*: « Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis » ad praescriptas preces post Missam (ASS, XXXVI (1903-1904) pg. 750-751).

« ... SS.mo D. N. Pio PP. X supplicia vota haud semel sunt delata, ut precibus, quae iussu s. m. Leonis XIII post privatae Missae celebrationem persolvi solent, ter addi possit sequens invocatio: Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis, aliqua tributa Indulgentia Sacerdoti ceterisque una cum eo illam devote recitantibus.

Porro Sanctitas Sua ... postulationibus perlibenter annuere duxit; ac proinde universis e populo christiano, qui una cum ipso sacerdote, post privatam Missae celebrationem, precibus iam indictis praefatam invocationem addiderint, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, defunctis quoque applicabilem, benigne elargiri dignata est ».

(NB! Invocatio non « praescribitur », sed conceditur; at immediate post preces dicenda est).

VI.

Decretum S. C. Rit. *de permissa omissione* precum praescriptarum; 20 Junii 1913. (AAS, V (1913) pg. 311). (*Decreta authentica* S. C. Rit. VI, n. 4305).

Sequens *quaestio* proposita fuit:

« An, attentis S. R. C. Decretis n. 3697, Ordinis Min. Capuccinorum, 7. Dec. 1888 ad III, de Missa Conventuali sine cantu, et n. 4271 Baion., 8 junii 1911 ad II, de Missa votiva lecta S. Cordis

Jesu, prima feria VI cuiusvis mensis, etiam aliqua similis Missa lecta, ex. gr. occasione primae communionis, aut communionis generalis, sacrae confirmationis vel ordinationis aut pro sponsis, haberi possit uti solemnis; eique applicari valeant praefata decreta quoad preces in fine Missae, a Summo Pontifice praescriptas, omittendas?

Et sacra R. Congr. ... rescribendum censuit: « AFFIRMATIVE, si Missa cum aliqua solemnitate celebretur, vel Missam, quin celebrans ab altari recedat, immediate et rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium ».

VII.

Decretum S. C. Rit. *de continuanda recitatione precum* post Missam, 24 Nov. 1915. (AAS, VII (1915) pg. 526).

« Cum in aliquibus locis et dioecesibus DUBIUM exortum sit: Utrum preces in fine Missae a Summo Pontifice Leone XIII praescriptae, adhuc sint recitandae, S. R. Congr. respondendum censuit: AFFIRMATIVE, servatis Decretis et Normis ab ipsa S. Congr. traditis ».

Atque ita rescripsit, declaravit et, approbante SS.mo D. N. Benedicto Papa XV, servari mandavit.

VIII.

Dubium: S. C. Rit. *de prohibita omissione precum* post Missam, 21 Junii 1916. (AAS, VIII (1916) 227, II, Dubia: II et III). (*Decreta authentica* S. C. Rit. VI, n. 4337, omissis Dub. II et III).

A Sacra Rituum Congregatione sequentium DUBIORUM solutio expostulata est:

II. An Preces post missam omittere *debet* sa-

cerdos, qui Sacrum facit in Oratorio cuiusdam Congregationis Religiosae, dum ipsa communitas vel lectioni meditationis, vel alteri Missae assistit, vel ad recipiendam Sacram Communionem accedit, vel pias preces in communi recitat?

III. An *liceat* preces omittere in fine Missae quae celebratur in altari Sanctissimi Sacramenti, si immediate post eam Sacra Communio administranda sit?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Voto specialis Commissionis, respondendum censuit:

Ad II. Negative; et in casu Preces praescriptae recitentur submissa voce tam a Sacerdote celebrante quam a clerico seu inserviente vel tantum respondente; et dentur Decreta, praesertim Decretum de precibus in fine Missae recitandis diei 20 iunii 1913 *.

Ad III. Negative iuxta decretum suprarelatum, et in casu Ss.ma Eucharistia administretur post preces.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 2 junii 1916.

* (Decretum anni 1913 vide supra: VI).

IX.

Sacrum Consistorium, Pii XI, die 30 Junii 1930. (AAS, XXII (1930) pg. 301): *preces* « post Missam » dicendae, dicantur *pro fidelibus Russiae.*

« ... Christo igitur humani generis Redemptori instandum, ut afflictis Russiae filiis tranquillitatem fideique profitendae libertatem restitui sinat; atque ut instare omnes, modico sane negotio atque incommodo, queant, volumus, quas fel. rec. decessor Noster *Leo XIII sacerdotes cum populo post sa-*

crum expletum preces recitare iussit eadem ad hanc ipsam mentem, scl. pro Russia dicantur; ... »

Articuli, qui solummodo « Elenchum » DOCUMENTORUM exhibere intendit, non est intrare in quaestionem: utrum hae preces retinendae, an abrogandae sint (utique, non privata auctoritate, sed per Ipsam Sanctam Sedem).

Sunt non pauci qui ita sentiunt. Censent: nullum esse internum nexum inter has PRECES et Liturgiam Eucharisticam Missae; immo eas constituere potius elementum turbans et harmoniam dissocians.

Alii aliter sentiunt; ipsis videtur: PRECES quippe quae subsequuntur Missam sufficienter distingui a Missa, eas enim dici et haberi « Preces *post* Missam » ». Ex parte Liturgiae nihil obstare neque obstare posse, cur *finita Liturgia Missae*, statim Deo PRECES offerantur pro eius Ecclesia, Christi Corpore Mystico; immo positive suaderi, ut ei ECCLESIA speciali modo commendetur hoc praecise momento, quo Ipse se obtulit hostiam pro sua Ecclesia.

Articulus deliberato consilio abstinet ab hac quaestione intranda. Videat competens Auctoritas Ecclesiastica, quid magis expediat bono Ecclesiae et sacrae Liturgiae, quam tantopere fovere et promovere sibi proposuit.

F. HÜRTH, S. I.

MONUMENTA

SS. D. N. Pius Pp. XII

6 - ALLOCUTIO

(AAS. L [24 febr. 1958] p. 90)

Dirigentibus Foederationis nationalis Italicae Sodalitatum e Familiis cum multa prole *.

Tra le visite più gradite al Nostro cuore annoveriamo questa vostra, diletti figli e figlie, Dirigenti e Rappresentanti le Associazioni tra le Famiglie Numerose di Roma e d'Italia. Vi è infatti nota la viva sollecitudine che Noi nutriamo verso la famiglia, di cui non trascuriamo occasione per illustrare la dignità nei suoi molteplici aspetti, per affermare e difendere i diritti, inculcare i doveri, in una parola, farne un caposaldo del Nostro pastorale insegnamento. Per questa stessa premura verso la famiglia, acconsentiamo di buon animo, ove le occupazioni del Nostro Ufficio non si frappongano, ad intrattenerCi, sia pure per brevi istanti, coi gruppi familiari che convengono nella Nostra dimora, ed anche, ove sia il caso, di lasciarCi fotografare in mezzo a loro, per permettere in qualche modo il ricordo della Nostra e della loro letizia. Il Papa in mezzo ad una famiglia! Non è forse

---

* Die 20 Ianuarii mensis a. 1958.

questo un posto che ben gli si addice? Non è egli stesso, con significato altamente spirituale, Padre della umana famiglia, rigenerata in Cristo e nella Chiesa? Non si attua forse per tramite di lui, Vicario di Cristo sulla terra, il mirabile disegno della Sapienza creatrice, che ha ordinato ogni umana paternità a preparare l'eletta famiglia dei cieli, dove l'amore di Dio, Uno e Trino, l'abbraccerà con unico ed eterno amplesso, dandole Sè medesimo in beatificante eredità?

Ma voi non rappresentate solamente la famiglia, bensì siete e rappresentate le famiglie numerose, vale a dire, le più benedette da Dio, dalla Chiesa predilette e stimate quali preziosissimi tesori. Da queste infatti ella riceve più manifestamente una triplice testimonianza, che, mentre conferma dinanzi agli occhi del mondo la verità della sua dottrina e la rettitudine della sua pratica, ridonda, in virtù dell'esempio, a grande vantaggio di tutte le altre famiglie e della stessa civile società. Ove, infatti, si incontrino con frequenza, le famiglie numerose attestano: la sanità fisica e morale del popolo cristiano — la fede viva in Dio e la fiducia della sua Provvidenza — la santità feconda e lieta del matrimonio cattolico.

Di ciascuna di queste testimonianze desideriamo dirvi una breve parola.

1. Tra le aberrazioni più dannose della moderna società paganeggiante deve contarsi l'opinione di taluni che ardiscono definire la fecondità dei matrimoni una « malattia sociale », da cui le nazioni che ne sono colpite dovrebbero sforzarsi di guarire con ogni mezzo. Di qui la propaganda del

cosiddetto « controllo razionale delle nascite », promossa da persone e da enti, talvolta autorevoli per altri titoli, ma, in questo, pur troppo riprovevoli. Se però è doloroso di rilevare la diffusione di tali dottrine e pratiche, anche nelle classi tradizionalmente sane, è tuttavia confortante di notare nella vostra patria i sintomi ed i fatti di una sana reazione, in campo sia giuridico che medico. Come è noto, la vigente Costituzione della Repubblica Italiana, per non citare che questa sola fonte, accorda, nell'articolo 31, un « particolare riguardo alle famiglie numerose », mentre la dottrina più corrente dei medici italiani si schiera sempre più in disfavore delle pratiche limitative delle nascite. Non pertanto deve stimarsi cessato il pericolo e distrutti i pregiudizi, che tendono ad asservire il matrimonio e le sue sapienti norme ai colpevoli egoismi individuali e sociali. E' da deplorarsi in particolare quella stampa, che di tanto in tanto ritorna sull'argomento col manifesto intento di confondere le idee del buon popolo e trarlo in errore con fallaci documentazioni, con discutibili inchieste e perfino con dichiarazioni falsate di questo o quell'ecclesiastico. Da parte cattolica occorre insistere per diffondere la persuasione, fondata sulla verità, che la sanità fisica e morale della famiglia e della società si tutela soltanto con obbedire generosamente alle leggi della natura, ossia del Creatore, ed innanzi tutto nutrendo verso di esse un sacro ed interiore rispetto. Tutto in questa materia dipende dalla intenzione. Si potranno moltiplicare le leggi ed aggravare le pene, dimostrare con prove irrefutabili la stoltezza delle teorie limitative e i danni che dalla

loro pratica derivano; ma se manca il sincero proposito di lasciare al Creatore compiere liberamente la sua opera, l'egoismo umano saprà sempre trovare nuovi sofismi ed espedienti per far tacere, se possibile, la coscienza e perpetuare gli abusi. Ora il valore della testimonianza dei genitori di famiglie numerose non solo consiste nel rigettare senza ambagi e con la forza dei fatti ogni compromesso intenzionale tra la legge di Dio e l'egoismo dell'uomo, ma nella prontezza ad accettare con gioia e riconoscenza gli inestimabili doni di Dio, che sono i figli, e nel numero che a lui piace. Tale disposizione di animo, mentre libera gli sposi da intollerabili incubi e rimorsi, pone, a giudizio di autorevoli medici, le premesse psichiche più favorevoli per un sano sviluppo dei frutti propri del matrimonio, evitando nell'origine stessa delle nuove vite quei turbamenti ed angosce, che si tramutano in tare fisiche e psichiche sia nella madre che nella prole. A prescindere infatti dai casi eccezionali, sui quali avemmo altre volte occasione di parlare, la legge della natura è essenzialmente armonia, e quindi non crea dissidi e contraddizioni, se non nella misura in cui il suo corso viene turbato da circostanze per lo più anormali o dalla contrastante volontà umana. Non vi è eugenetica che sappia far meglio della natura, ed è buona solo quella che ne rispetta le leggi, dopo averle profondamente conosciute, sebbene in alcuni casi di soggetti tarati sia consigliabile di dissuaderli dal contrarre matrimonio [1]. Del resto sempre e dappertutto il buon senso popolare

---

1 Cfr. Enc. *Casti connubii,* 31 dec. 1930 *Acta Ap. Sedis* a. 22, 1930, pag. 565.

ha ravvisato nelle famiglie numerose il segno, la prova e la fonte di sanità fisica, mentre la storia non erra quando addita nella manomissione delle leggi del matrimonio e della procreazione la causa prima della decadenza dei popoli.

Le famiglie numerose, lungi dall'essere la « malattia sociale », sono la garanzia della sanità di un popolo, fisica e morale. Nei focolari, dove è sempre una culla che vagisce, fioriscono spontaneamente le virtù, mentre esula il vizio, quasi scacciato dalla fanciullezza, che ivi si rinnova come soffio fresco e risanatore di primavera.

Prendano dunque esempio da voi i pusillanimi e gl'ingenerosi; a voi conservi la patria gratitudine e predilezione per tanti sacrifici, che abbracciate nell'allevare ed educare i suoi cittadini; come vi è grata la Chiesa, che può per mezzo vostro ed insieme con voi presentare all'azione santificatrice del divino Spirito schiere sempre più sane e folte di anime.

2. Nel mondo civile moderno la famiglia numerosa vale in generale non a torto come la testimonianza della fede cristiana vissuta, poichè l'egoismo, di cui parlavamo testè come massimo ostacolo alla espansione del nucleo familiare, non può validamente vincersi se non ricorrendo ai principii etico-religiosi. Anche di recente si è visto come la cosiddetta « politica demografica » non ottiene notevoli risultati, sia perchè sull'egoismo collettivo, di cui essa è spesso la espressione, prevale quasi sempre l'individuale, sia perchè le intenzioni ed i metodi di quella politica avviliscono la dignità della famiglia e delle persone, pareggiandole quasi a

specie inferiori. Soltanto la luce divina ed eterna del cristianesimo illumina e vivifica la famiglia, in tal modo che, sia nell'origine sia nello sviluppo, la famiglia numerosa è spesso presa come sinonimo di famiglia cristiana. Il rispetto delle leggi divine le ha dato l'esuberanza della vita; la fede in Dio fornisce ai genitori il vigore necessario per offrontare i sacrifici e le rinunzie che esige l'allevamento della prole; i principî cristiani guidano e agevolano l'ardua opera di educazione; lo spirito cristiano dell'amore veglia sull'ordine e sulla tranquillità, mentre dispensa, quasi enucleandole dalla natura, le intime gioie familiari, comuni ai genitori, ai figli, ai fratelli.

Anche esteriormente una famiglia numerosa ben ordinata è quasi un visibile santuario: il sacramento del Battesimo non è per essa un avvenimento eccezionale, ma rinnova più volte la letizia e la grazia del Signore. Non è ancora terminata la serie dei festosi pellegrinaggi al fonte battesimale, che comincia quella, sfavillante di pari candore, delle Cresime e delle primi Comunioni. Il più piccino dei fratelli ha appena deposto il vestitino bianco tra i più cari ricordi della vita, ed ecco fiorire il primo velo nuziale, che raccoglie ai piedi dell'altare genitori, figli e nuovi parenti. Seguiranno, come rinnovate primavere, altri matrimoni, altri battesimi, altre prime Comunioni, perpetuando, per così dire, nella casa le visite di Dio e della sua grazia.

Ma Dio visita altresì le famiglie numerose con la sua Provvidenza, alla quale i genitori, specialmente poveri, danno aperta testimonianza, ripo-

nendo in lei ogni loro fiducia, quando non bastasse la umana industria. Fiducia ben fondata e non vana! La Provvidenza — per esprimerCi con concetti e parole umane — non è propriamente l'insieme di atti eccezionali della divina clemenza; ma il risultato ordinario dell'azione armoniosa della infinita sapienza, bontà e onnipotenza del Creatore. Dio non nega i mezzi di vivere a chi chiama alla vita. Il divino Maestro ha esplicitamente insegnato che « la vita vale più del nutrimento, e il corpo più del vestito » [2]. Se singoli episodi, piccoli e grandi, talora sembrano provare il contrario, è segno che qualche impedimento è stato opposto dall'uomo alla esecuzione dell'ordine divino, oppure, in casi eccezionali, prevalgono superiori disegni di bontà; ma la Provvidenza è una realtà, una necessità di Dio Creatore. Senza dubbio, non dalla disarmonia od inerzia della Provvidenza, bensì dal disordine dell'uomo — in particolare dall'egoismo e dall'avarizia — è sorto e si mantiene ancora insoluto il cosiddetto problema della sovrappopolazione della terra, in parte realmente esistente, in parte irragionevolmente temuto come imminente catastrofe dalla moderna società. Con il progresso della tecnica, con la facilità dei trasporti, con le nuove fonti di energia, di cui si è appena cominciato a raccogliere i frutti, la terra può promettere prosperità a tutti coloro che ospiterà, ancora per molto tempo.

Quanto al futuro, chi può prevedere quali altre nuove ed impensate risorse racchiude il nostro

---

[2] Cfr. MATTH. 6, 25.

pianeta, e quali sorprese, al di fuori di esso, contengono forse le mirabili attuazioni della scienza, appena ora iniziate? E chi può assicurare nel futuro un ritmo procreativo naturale, eguale al presente? E' forse impossibile l'intervento di una legge moderatrice intrinseca del ritmo di espansione? La Provvidenza ha riserbato a sè il futuro destino del mondo. E' intanto singolare il fatto che, mentre la scienza converte in utili realtà ciò che tempo addietro si stimava frutto di accese fantasie, il timore di alcuni trasforma le fondate speranze di prosperità in spettri di catastrofi. La sovrappopolazione non è dunque una valida ragione per diffondere le illecite pratiche del controllo delle nascite, bensì il pretesto per legittimare la avarizia e l'egoismo, sia di quelle nazioni che temono dalla espansione delle altre un pericolo alla propria egemonia politica e l'abbassamento del tenore di vita, sia degli individui, specialmente dei più forniti di mezzi di fortuna, che preferiscono il più largo godimento dei beni terreni al vanto ed al merito di suscitare nuove vite. Si giunge in tal modo ad infrangere le leggi certe del Creatore col pretesto di correggere gli immaginari errori della di lui Provvidenza. Sarebbe invece più ragionevole ed utile che la società moderna si applicasse più risolutamente e universalmente a correggere la propria condotta, rimuovendo le cause della fame nelle « zone depresse » o sovrappopolate, mediante un più attivo uso a scopi di pace delle moderne scoperte, una più aperta politica di collaborazione e di scambio, una più lungimirante e meno nazionalistica economia: soprattutto reagendo alle sug-

gestioni dell'egoismo con la carità, dall'avarizia con applicazione più concreta della giustizia. Dio non chiederà conto agli uomini del generale destino della umanità, che è di sua spettanza; ma dei singoli atti da loro voluti in conformità o in dispregio dei dettami della coscienza.

Quanto a voi, genitori e figli di famiglie numerose, continuate a prestare con serena fermezza la vostra testimonianza di fiducia nella divina Provvidenza, certi che ella non mancherà di ricambiarla con la testimonianza della sua quotidiana assistenza, e, se fosse necessario, con straordinari interventi, dei quali molti di voi hanno felice esperienza.

3. Ed ora qualche considerazione sulla terza testimonianza, atta a rinfrancare i pavidi e ad accrescere in voi il conforto. Le famiglie numerose sono le aiuole più splendide del giardino della Chiesa, nelle quali, come su terreno favorevole, fiorisce la letizia e matura la santità. Ogni nucleo familiare, anche il più ristretto, è nelle intenzioni di Dio un'oasi di spirituale serenità. Ma vi è una profonda differenza: dove il numero dei figli non supera di molto il singolare, là quell'intimo sereno, che ha valore di vita, porta in sè un qualcosa di melanconico e di smorto; è di più breve durata, forse più incerto, spesso offuscato dai timori e da segreti rimorsi. Diversa è, invece, la serenità di spirito nei genitori circondati da una rigogliosa fioritura di giovani vite. Il gaudio, frutto della sovrabbondante benedizione di Dio, irrompe con mille espressioni, con stabile e sicura perennità. Sulla fronte di questi padri e madri, benchè gra-

vata da pensieri, non vi è traccia di quell'ombra interiore, rivelatrice di ansie di coscienza o del timore di un irreparabile ritorno alla solitudine. La loro giovinezza non sembra mai appassire, finchè perdura nella casa il profumo delle culle, finchè le pareti domestiche riecheggiano delle voci argentine dei figli e dei nipoti. Le fatiche moltiplicate, i sacrifici raddoppiati, le rinunzie a costosi svaghi, sono largamente compensati, anche quaggiù, dalla copia inesauribile di affetti e di dolci speranze, che assediano i loro cuori, senza tuttavia opprimerli nè stancarli. E le speranze diventano presto realtà, dal momento che la più grandicella delle figliuole comincia a prestare alla madre la sua opera nell'accudire l'ultimo nato; il giorno in cui il primogenito rientra per la prima volta, raggiante, col suo primo guadagno. Quel giorno sarà benedetto in modo particolare dai genitori, che ormai vedono scongiurato lo spettro di una possibile squallida vecchiaia e assicurato il compenso ai loro sacrifici. I numerosi fratelli, alla lor volta, ignorano il tedio della solitudine ed il disagio dell'essere costretti a vivere tra i più grandi. E' vero che la loro numerosa compagnia può trasformarsi talora in fastidiosa vivacità, e i loro dissensi in passeggere tempeste: tuttavia, quando queste sono superficiali e di breve durata concorrono efficacemente alla formazione del carattere. I fanciulli delle famiglie numerose si educano quasi da sè alla vigilanza ed alla responsabilità dei loro atti, al mutuo rispetto ed aiuto, all'apertura di animo e alla generosità. La famiglia è per essi il piccolo mondo di prova, prima che si affronti quello esterno, più arduo ed impegnativo.

Tutti questi beni e pregi assumono maggiore consistenza, intensità e fecondità, allorchè la famiglia numerosa pone a proprio fondamento e norma lo spirito soprannaturale del Vangelo, che tutto trasumana ed eterna. In questi casi, agli ordinari doni di provvidenza, di letizia, di pace, Iddio aggiunge spesso, come l'esperienza dimostra, le chiamate di predilezione, vale a dire, le vocazioni al sacerdozio, alla perfezione religiosa e alla stessa santità. Più volte, e non a torto, si è voluto mettere in risalto la prerogativa delle famiglie numerose nell'essere culle di santi; si citano, tra tante, quella di S. Luigi Re di Francia composta da dieci figli, di S. Caterina da Siena da venticinque, di S. Roberto Bellarmino da dodici, di S. Pio X da dieci. Ogni vocazione è un segreto della Provvidenza; ma, per quanto concerne i genitori, da questi fatti si può concludere che il numero dei figli non impedisce la loro egregia e perfetta educazione; che il numero, in questa materia, non torna a discapito della qualità, sia in rapporto ai valori fisici che a quelli spirituali.

Una parola finalmente a voi, Dirigenti e Rappresentanti le Associazioni tra le Famiglie Numerose in Roma e in Italia. Abbiate cura d'imprimere un dinamismo sempre più vigile e fattivo all'azione, che vi proponete di svolgere a vantaggio della dignità delle famiglie numerose e della loro protezione economica. Per il primo scopo conformatevi ai dettami della Chiesa; per il secondo occorre scuotere dal letargo quella parte della società non ancora aperta ai doveri sociali. La Provvidenza è una verità ed una realtà divina, che, però, si compiace di avvalersi della umana collaborazione.

D'ordinario essa si muove ed accorre, se chiamata e quasi condotta con mano dall'uomo; ama nascondersi dietro l'umana operosità. Se è giusto riconoscere alla legislazione italiana il vanto delle posizioni più progredite sul terreno della tutela della famiglia, particolarmente di quele numerose, non bisogna nascondersi che ne esistono tuttora non poche, le quali si dibattono, senza loro colpa, tra disagi e stenti. Ebbene, la vostra azione deve proporsi di far giungere anche a questa la tutela delle leggi, e, nei casi urgenti, quella della carità. Ogni risultato positivo ottenuto in questo campo è come una solida pietra posta nell'edificio della patria e della Chiesa: è quanto di meglio si possa fare come cattolici e come cittadini.

Invocando la divina protezione sopra le vostre famiglie e sopra quelle di tutta l'Italia, ponendole ancora una volta sotto l'egida celeste della Sacra Famiglia di Gesù, di Maria e di Giuseppe, v'impartiamo di gran cuore la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

7 - ALLOCUTIO

(AAS. L [25 martii 1958] p. 153)

Moderatoribus Generalibus Religiosorum Ordinum ac Sodalitatum in Urbe exstantibus *.

Haud mediocri animi gaudio vos omnes, Filii dilectissimi, qui sodalibus ad perfectionem evangelicam contendentibus suavi divinae Providentiae

* Habita die 11 Februarii mensis a. 1958.

consilio praepositi estis, coram Nobis astantes in Domino salutamus utpote in aliquam, non qualemcumque, Nostri Apostolici muneris societatem adlectos. Uti enim ante aliquot annos memorabamus, dum socios vestri primi Conventus de statibus perfectionis alloquebamur, religiosae vitae institutum « ideo est atque ideo valet », quia arcte proprio Ecclesiae fini cohaeret, qui eo spectat, ut homines ad sanctitatem assequendam perducantur »[1]. Nec enim Christi Domini voto plene responderet Eius Sponsa Ecclesia, nec spe nitentes oculi hominum ad eam tamquam ad « signum in nationes »[2] levatum suspicerent, nisi in eius sinu invenirentur qui vitae exemplo vel magis quam verbis, Evangelii decore formosius lucerent.

In hac igitur parte Nostri muneris, vobis, dilectissimi Filii, sive recto tramite, aliquid vobis per Codicem Iuris delegantes Nostrae supremae iurisdictionis, sive per ipsa Nobis probata Regulas et Instituta vestra illius potestatis vestrae, quam « dominativam » appellant, fundamenta ponentes, vos socios Nostri supremi officii assumpsimus. Hinc fit ut Nostra plurimum intersit, ut ad mentem Nostram et Ecclesiae hanc vestram auctoritatem exerceatis.

Ea quae vestros subditos hac aetate servare praecipue expedit, ea quae innovare et aptare, memorata Nostra adhortatione proxime elapso Anno Sancto 1950 fuse descripsimus. Hodie Nobis in mente est paucis definire quo modo vos, qui eos

---

[1] *Acta Ap. Sedis,* a. 1951, pag. 28.

[2] *Is.* 11, 12.

regendos habetis quos tunc alloquebamur, ad finem quem intendimus Nobiscum adlaborare magis deceat.

Monebamus tunc ne, qui participes sunt statuum perfectionis, menti illius philosophiae, cui « existentialismi » nomen indiderunt, ullo modo cum detrimento aeternae Veritatis indulgerent [3]. Iamvero, eorum est, quibus praeesse contigit, clare illuminata mente per tutas semitas veritatis, non deflectendo ad dexteram vel ad sinistram partem, ad aeternae vitae metam sibi subiectos firmo ductu et forti, si oportet, manu, quam tutissime perducere. Uti ait patriarcha eorum, qui in Occidente ad perfectionem evangelicam contendunt: « Abbas nihil extra praeceptum Domini quod sit debet aut docere aut constituere vel iubere; sed iussio eius vel doctrina fermento divinae iustitiae in discipulorum mentibus conspargatur » [4]. Non ex iis quae a pluribus dici solent, non ex iis quae tamquam novissima, reiiectis iam vetustioribus patrum commentationibus, nunc demum docenda et agenda circumferuntur, non ex iis quae hominibus in saeculo vitam agentibus magis consona videntur, sed ex puro fonte veritatis revelatae et ex disciplina magisterii ecclesiastici normas, quibus suos dirigant, perpetuo hauriant Superiores statuum perfectionis. Forti utique animo opus est ut plurium placitis interdum obviam eatur; nisi Superior consentiat nonnumquam et nonnullis se videri obsoletum, quomodo integram servabit Chris-

---

[3] *l. c.* pag. 32.

[4] *Sancti Benedicti Regula Monasteriorum,* cap. II.

ti veritatem, semper novam, utique, sed simul semper antiquam? In normis quoque, quibus regatur oportet asceseos doctrina et ratio vivendi statuum perfectionis (uti in re graviore monebamus per Encyclicas Litteras « Humani generis »), non desunt hodie qui « rebus novis plus aequo studentes ... sacri Magisterii moderationi se subducere contendant ideoque in eo versentur periculo ne sensim sine sensu ab ipsa divinitus revelata discedant aliosque secum in errorem inducant » [5]. Minus certe grave est errare in disciplina morum quam in rebus fidei; uterque tamen error suo modo in perniciem suapte natura nos ducit, et sine dubio ab inveniendo prout oportet Summo Bono nos retardat et impedit.

Aeque libratae ac solidae ascessos doctrinae, qualis a primis Conditoribus tradita est, longoque Ecclesiae usu sancita, firmiter inhaereant Superiores, nec ob ullas res novas ab ea recedant. Veritati enim nos adhaerere oportet, non quia hominum consensum secum trahit, sed quia veritas est, a Deo vel naturae indita, vel benigne hominibus revelata. Sint qui ei detrahant: num ideo desinit esse veritas viaque ad Deum? Sane, qui prudens sit Superior, consilia plurima libenter petet et audiet; sapientum et doctorum sententiam multum cum animo suo revolvet et ponderabit; numquam sibi ipsi fidet perinde ac si periculum errandi cuilibet in terris non semper immineat. Postea autem, in quantum id potest, auditis imprimis iis quos ipsa Regula tamquam consiliarios natos sibi conces-

---

[5] *Acta Ap. Sedis* a. 42, 1950, pag. 564.

sit, fusis plurimis precibus ad Spiritum Consilii, mature rebus omnibus consideratis, certam determinatamque sententiam amplectetur; nec vereatur eam paterna atque humili firmitate subditis prout oportet imponere, ac secundum eam eorum actus et vitam informare. « Sicut discipulos convenit oboedire magistro, ita et ipsum provide et iuste condecet cuncta disponere »[6].

Illud proinde numquam a mentibus vestris discedat, quidquid cavillantur aliqui, quibus iugum oboedientiae religiosae iam videatur gravius quam ut huius aetatis hominibus imponatur, Superioris officium esse, cum omni quidem humilitate et caritate Christi, subditos firmiter ducere; atque Deum Iudicem non a singulis tantum, sed et ab eis etiam quibus eos commisit, rationem animarum exacturum. « Quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem »[7].

Labente tempore et novis in dies animorum necessitatibus exorientibus, aliae atque aliae, duce ut sperare licet Spiritu Sancto, ortae sunt in Ecclesiae formae ducendae vitae ad perfectionem tendentis. Aliae alia a propriis alumnis requirunt; non eadem quae monachis, clericis regularibus proponuntur; non eadem quae Religiosis, sociis recentius exortorum Institutorum saecularium. Unum tamen commune est omnibus atque commune manebit: quisquis enim evangelicam perfectio-

---

6 *Sancti Benedicti Reg. Monast.* cap. III.

7 *Sancti Benedicti Reg Monast.* cap. II.

nem prosequitur, necesse est ut sese ab hoc mundo retrahat et secernat, re quidem secundum ea quae propria requirit a Deo indita vocatio, affectu autem penitus. Ab hoc mundo dicimus, de quo Dominus et Magister noster discipulos praemonebat suos: « de mundo non estis »[8]; dilectissimus autem Apostolus: « mundus totus in maligno positus est »[9]; Doctor quoque Gentium: « mihi mundus crucifixus est, et ego mundo »[10].

Affectu quidem plene a mundo alienus sit oportet qui Domino vivere intendit, Eique perfecte famulari; Dominus enim is est cui, nisi Ipsi soli serviatur, non perfecte servitur. Quod enim bonum creatum ullatenus potest cum divina perfectione conferri, ne dicamus Ei coaequari? Qui animum suum non purgavit et purgatum servat a superbia mundi eiusque concupiscientia multiformi, quomodo potest veluti alis liberae caritatis ad Deum ascendere cum Eoque coniunctus vivere? Coniunctus quidem, non tantum vitali illa coagmentatione gratiae sanctificantis, quam dicimus, sed fervore quoque caritatis, qui proprius est vitae ad perfectionem contendentis?

Quis autem homo, particeps illius infirmitatis, quam secum trahit peccatum primi parentis, nisi sit ex perfectissimis, gratia Dei praeter communem modum praeventis, affectu a rebus terrenis omnino liber manere poterit, quin et re se ab eis aliquatenus, immo et plurimum se seiungat iisque

---

8 *Io.* 15, 19.
9 *1 Io.* 5, 19.
10 *Gal.* 6, 14.

fortiter abstineat? Nemo (praeterquam ob officium sibi ab oboedentia in Ecclesia commissum) commodis omnibus fruitur quibus hoc saeculum abundat, sensuum gaudiis et delectamentis se recreat, quae sectatoribus suis largius in dies offert, quin de spiritu fidei, de caritate in Deum aliquid amittat. Immo, qui diuturniori laxitati indulserit, sensim sine sensu a proposito sanctitatis deflexerit atque in periculum se adduxerit, ne tandem fervor caritatis et ipsum lumen fidei adeo tepescant, ut ab excelso statu ad quem contenderat misere forte decidat.

Vestrae normae iudicandi, tam de doctrinis et opinionibus, quam de rebus agendis, diversae sint oportet a normis huius mundi; ratio se gerendi diversa; diversa quoque ratio in alios homines influere conamini. Normae vestrae iudicandi et aestimandi desumantur e Domini Evangelico Eiusque Ecclesiae doctrina; etenim « placuit Deo per stultitiam praedicationis facere credentes » [11]; « sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum » [12]; siquidem « nos autem praedicamus Christum crucifixum » [13]. Nisi quis, nedum mentem veneno inficiat assiduo commercio rerum huius saeculi eam potius diligenter nutriat lectione atque consideratione rerum Dei, studio sanae doctrinae, familiaritate cum scriptis sive antiquorum sive recentiorum illorum qui firma fide et secura pietate emicuerunt, quomodo poterit sapere quae recta sunt? [14].

---

11 *1 Cor.* 1, 21.

12 *1 Cor.* 3, 19.

13 *1 Cor.* 1, 23.

14 Cfr. *collectam e Missa de Spiritu Sancto.*

Sed similes normae agendi vestris subditis servandae sunt. Non ad ea quae placent, nec ad ea quae delectant, neque ad ea quae commoda sunt anhelare possunt, sed ad Deum solum, quem non invenient nisi in assidua sensuum et voluntatis refrenatione. Voluntatis, per humilitatem imprimis et submissionem oboedientiae; sensuum, per vitae austeritatem atque sponte susceptam corporis afflictationem. Sine illis adminiculis enim quae paginis antiqui pariter et novi Testamenti totaque Ecclesiae traditione commendantur, vix non frustra sibi blanditur anima christiana se ad dilectionem Dei et proximorum propter Deum ascensuram.

Nonne immo etiam rationes, per quas in homines influere poteritis ut eos ad Deum finem ultimum deducatis, diversae sunt ab iis quas mens sibi relicta efficaces fore aestimaverit? Apostolatus quem dicimus omnino innititur necessitati gratiae praevenientis, quae audientium corda et aures adaperiat; gratiae adiuvantis, sine qua bonum ad salutem conducens nemo operatur, in bono nemo perseverat. Viae autem Domini non sunt viae nostrae; non semper « in persuasibilibus humanae sapientiae verbis » [15] inest vis movendi animos ad fidem et opera salutis, « sed in ostensione spiritus et virtutis », [16] in « ostensione » illa mysterio plena, qua ex simplici sinceritate, ex caritate, ex fortitudine credentis oritur mira efficacitas persuadendi animos eosque ad Deum ducendi; non iis rebus novis et inauditis, quas ingenium humanum in dies excogitat, moventur homines in bonum, sed ab ocu-

---

[15] *1 Cor.* 2, 4.
[16] *Ib.*

lis abscondita virtute gratiae et Sacramentorum, Paenitentiae imprimis et Eucharistiae. Rursusque: nisi quis a saeculo ad tempus saltem segregatus immo cotidie fere ad aliquod otium conversus, res illas in commercio cum solo Spiritu Sapientiae serena et pia mente consideret, nonne inficietur febri illa inquieta et non raro sterili « actionis », quam vocant, speciosae magis quam efficacis?

Ut autem vestri filii vivere possint in illa animi pace et serenitate quae ad rectam aestimationem rerum divinarum tantopere iuvat, vestri Conditores, ex antiqua Ecclesiae traditione, a Patribus in deserto commorantibus, secundum veram Evangelii sapientiam orta, eos munierunt ea quam vocare solemus disciplinam seu observantiam. Quae quamvis in variis Institutis pro vario eorum fine diversa, in omnibus tamen colenda iniungitur. Eius necessitas ad finem quem vobis proponitis ex ipsa infirma natura humana, vulnere originali laborante, oritur; eius efficacitas ad perfectionem vitae christianae consequendam diuturna, antiqua pariter atque odierna experientia comprobatur idonea; eius sanctitas ab Ecclesia perpetuo, qua verbo, qua actibus effertur.

Nunquam ad laxiora pronae naturae humanae ingrata non fuit observantia, quam vita in statibus perfectioris secum fert ex Regula; nostrae aetatis hominibus facile magis ingrata, utpote vitae liberiori ante conversionem ad statum perfectionis magis assuetis. Nec tamen hac de causa, quamquam eam recte in rebus non ad essentiam pertinentibus accommodastis et accommodatis viribus eorum qui nunc ad vos veniunt, eam minoris face-

re nec multo minus reliquere licet. Sicuti olim, ita et nunc valet illud Proverbiorum: « Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua » [17]. Quod de disciplina, quam quisque sibi lubens imponit, habet auctor divinitus inspiratus, nonne idem iure dici potest de disciplina illa quam quis, per professionem vitae perfectioris, sibi assumit et servandam promittit? « Quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit, ideo angustam viam arripinut;... ut non suo arbitrio viventes vel desideriis suis et voluptatibus oboedientes, sed ambulantes alieno iudicio et imperio, in coenobiis degentes, abbatem sibi praesse desiderant » [18].

Ad officium autem vestrum pertinet paterna firmitate subditos hortando, monendo, increpando, imo, cum eo deveniendum sit, puniendo, secundum Regulas Instituti cuiusque vestri in recto tramite terendo eos adiuvare et continere. Nec cuilibet Superiori licet in subditum forte neglegentem vel delinquentem officii onus reicere dicendo « aetatem habet, ipse viderit ». Non ita rem aestimabit Dominus, cum rationem exiget animarum vobis commissarum: « Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum » [19] ab eo qui conivendo oves utut devias vel inconsultas sibi ipsis reliquerit neque eas firmo baculo a deviis semitis servaverit, earum sanguinem requiret! Paterna eaque vera caritas non tantum in blandiendo, sed etiam in dirigendo et castigando, prodit. Fir-

---

17 *Prov.* 4, 13.

18 *Sancti Benedicti Reg. Monast.* cap. V.

19 *Ezech.* 34, 10.

mitas illa numquam sit dura, numquam iracunda vel minus circumspecta; sit recta semper et serena; sit mitis et misericors, prompta ad ignoscendum et ad iuvandum filium qui ab errore vel culpa resurgere conatur; ne tamen vigilare desit umquam neque umquam lassetur. Nec tantum ad vitam quam « regularem » vocare solent, quae intra saepta domus religiosae agitur, sed ad integram operam, quam vestri in vinea patrisfamilias praestant, pertineant oportet ductus et vigilantia vestra. Secundum normas vobis a Hierarchis ecclesiasticis ad quos res spectat praestitutas, vestrum est invigilare vestrorum labori subditorum, ne quid vel in propriae animae detrimentum vel in Ecclesiae et animarum dedecus vel damnum admittant, sed potius ut suum et proximorum bonum aemulentur.

Ipse vester hic coetus Superiorum Generalium, qui sponte olim primo convenit, sponte convenire pergit atque in institutum permanens ab hac Sede Apostolica probatum est et in personam moralem evectum, vestram paratissimam voluntatem postulat adlaborandi ad ea omnia, ad quae Ecclesia ope vestra uti cupit. Probe enim intellexistis vos omnes unum agmen efficere, in quo, si alii pedites, alii equites, alii sagittarii, omnes denique tandem eandem bonam pugnam dimicant. Perspexistis quam opportunum, immo necessarium sit, dum inimicus nominis Christi vires cotidie magis in unum quem invictum sperat fascem colligit, ut et vos omnesque qui Deo militant, viribus unitis, singuli in proprio ordine propriisque armis, in unam victoriam conspiretis. Haec unitas, quae di-

versitate gentium, mentium, usuum aliarumve rerum humanarum praepeditur, mirum in modum efflorescet, si animis vestris alte inhaerebit vera Christi caritas, quam Spiritus Sanctus in eam effundit. Haec caritas desursum orta et donata, si nos promptos reperiet ad adlaborandum, omnes facile solvet nodos angustioris, qualis pro humana tenuitate solet irrepere, praedilectionis proprii iureque dilecti Instituti. Nam proprium Institutum, ad quod a divina Providentia vocatus est, unusquisque diligat oportet; secundum proprii Instituti normas animum moresque fingat; secundum proprias leges quadamtenus ministeria apostolica deliget et aget: at omnes semper in concordi servitio eiusdem Ecclesiae, Sponsae eiusdem Domini et Dei Servatoris.

Hinc est quod illa, quae omnibus fidelibus est communis, studiosa observantia erga Petri Cathedram atque Christi Vicarium, vobis, qui ad perfectionem contendere nitimini, singulari prorsus ratione colenda est. Vos sibi prae caeteris obsequentes fore novit haec Apostolica Sedes; vos praecones fidelissimos doctrinae veritatis ab hac Cathedra procedentis esse confidit; vos prae omnibus disciplinae ecclesiasticae exemplaria et fautores futuros esse firmiter sperat. Et si quando, que natura est Regni Dei in terris, in quo boni malis, frumentum lolio commiscetur, aliquid alicubi vacillet, titubet, èrret, discindatur, certe vos, Filii dilectissimi, una Nobiscum adunati « Regnum iustitiae, amoris et pacis » [20] propugnate invicti. Non ea im-

---

20 *Praef. e Missa Christi Regis.*

modica confidentia sui, qua olim, Spiritu Sancto nondum confirmatus, Petrus exclamabat « Et si omnes, ... sed non ego » [21] pari tamen caritate, humili fiducia freti gratia vestrae ad perfectionis status vocationis, profiteri poteritis. Et si forte alii, filiorum spiritus obliti, huic Sedi Apostolicae sollicitudinem afferant, nos certe, Deo iuvante, memores quam fidelissime erimus verbi Domini: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam »; « tu ... confirma fratres tuos » [22].

Hisce Vicarii Christi votis ut vestra Instituta semper respondeant, vestrum sit nonnisi omni ratione aptos, id est selectos virtute et quantum oportet ingenio ceterisque dotibus iuvenes in agmen vestrorum Institutorum adlegere. Absit a vobis nimium studium turbam colligendi sociorum, qui vestra praecelsa vocatione minus digni futuri timeantur: hi enim Ecclesiae, nedum decori et emolumento, detrimento erunt et tristitiae. Si ex contrario, normas ab Ecclesia usque propositas servantes, vere dignos tantum vobis asciscatis, et Deo cura erit de huiusmodi vocationibus suscitandis, et honor, quo apud homines habebitur, vester status in multorum animis viam gratiae divinae parabit. Deo fidatis: si Ipsi quam dignissime servieritis, Ipsi cura erit de vobis, vestrisque Institutis servandis et promovendis.

Faxit Deus ut super electum hunc manipulum servorum suorum, inter reliquos eiusdem agminis milites Sibi sicut et Nobis carissimorum, copiosa

---

21 *Marc.* 14, 29.

22 *Matth.* 16, 18; *Luc.* 22, 32.

descendat lux et ardor Spiritus Sancti. Et dum grato animo memoramus dulces illas prodigiales visiones Beatae Mariae Virginis Immaculatae in Lapurdensi specu, rogamus ut eiusdem Matris gratiae precatio vobis devotissimis praeclarum illud donum impetret. Cuius divinae benignitatis pignus effusa caritate vobis, dilecti Filii, vestris adiutoribus in regendis Institutis vestris, subditis vestris omnibus, ubique terrarum militantibus, iis imprimis qui ab hostibus divini Nominis cruciantur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

8 - ALLOCUTIO

(AAS. L [28 apr. 1958] p. 205)

*Operariis ex urbe Neapoli et Campania Provincia, peregrinationis causa Romae coadunatis.**

Vi siamo grati, Venerabili Fratelli, diletti figli e figlie di Napoli e della sua Provincia, del conforto, che con la vostra venuta, così fervida e pronta, arrecate al Nostro cuore. Se in ogni tempo torna gradita al Vicario di Cristo la visita dei figli, vi sono tuttavia giorni, in cui l'animo suo sente più vivo il bisogno di vedersi circondato dalla presenza e dall'affetto loro, per effondere in essi gl'intimi suoi sentimenti, talora di mestizia, tal'altra di letizia e di speranza.

Uno di questi è per Noi l'odierno, in cui, seguendo l'impulso della benemerita Pontificia Ope-

---

* Habita die 9 Martii mensis a. 1958.

ra di Assistenza e dell'Onarmo, avete desiderato di adunarvi intorno a Noi e testimoniare l'inconcussa vostra fedeltà e devozione a questa Sede Apostolica.

Accogliete dunque il paterno Nostro saluto, voi tutti, che, per il numero rilevante dei convenuti, per la presenza dei vostri zelantissimi Arcivescovi e Vescovi, e per quella, altrettanto gradita, di Autorità civili, rappresentate degnamente una tra le più illustri regioni d'Italia, una tra le più elette porzioni del gregge di Cristo, quella terra che già gli antichi latini designavano col nome di « Campania felix ». Oh, come vorremmo che questo motto espressivo ed augurale si manifestasse al più presto in pienezza di prosperità spirituale e materiale per la intera regione, ed in particolare per la sua illustre, popolosa, incantevole metropoli, tanto a Noi cara, quanto prossima e devota alla Sede Apostolica, Napoli. Lasciate dunque che vi esponiamo qualche pensiero, che, mentre vi testimoni il vivo interesse con cui seguiamo le vostre vicende, vi riesca altresì di sostegno nello strenuo avanzamento verso gl'ideali di progresso religioso e civile, che certamente vi siete proposti.

Chiunque consideri la regione napoletana nei suoi molteplici aspetti, la troverà facilmente come una terra particolarmente benedetta da Dio. Innanzi tutto la configurazione geofisica e le condizioni climatiche le conferiscono quel decoro incomparabile, per cui il nome di Napoli è celebrato in tutto il mondo, e fin dall'età classica, quando Orazio affermava dei dintorni partenopei, ben noti ai patrizi di Roma: « Nullus in orbe sinus Bajis

praelucet amoenis »[1]. La cerchia degli Appennini protegge dai rigori settentrionali le fertili pianure, che discendono dolcemente verso mezzodì, quasi bramose di sole e di mare. Multiformi e leggiadre sono le coste, talora mollemente distese a guisa di verdi tappeti lambiti dalle onde, tal'altra dirupate da promontori di rocce scoscese, ansiose di riflettere nelle placide insenature i loro orridi incantevoli. Poeti e pittori di ogni nazione non si dicono mai paghi di cantare e di ritrarre il vivido senso di poesia, che si sprigiona dalla felice sintesi della luce, dei colori, delle linee, dei profumi, della mitezza dei tre elementi, terra, cielo e mare. I nomi di Posillipo, Sorrento, Capri, Ischia, Amalfi risuonano dappertutto come regni favolosi di armonia e di pace. Che dire della salubrità dell'aria, della ricchezza delle acque, talune con efficace potere terapeutico già noto ai Romani, della singolarità dei fenomeni vulcanici e della feracità straordinaria del suolo? In una parola, tutta la natura ivi canta con voce alta e melodiosa la gloria del creatore. Illustre, quanto remota, è la storia della vostra regione, che prende le mosse dalle più antiche civiltà mediterranee, specialmente di Atene e di Roma, le cui imponenti vestigia da ogni dove si accorre ad ammirare a Paestum, Cuma, Pompei, Ercolano. Le origini della espansione cristiana nell'Occidente sono egualmente segnate da nomi partenopei, come da quello di Pozzuoli, dove approdò, prigioniero per Cristo verso Roma, l'Apostolo S. Paolo, soggiornandovi una intiera settimana per le insisten-

[1] *Horat. Epist.* l. 1. 1. v. 83.

ti preghiere della nascente comunità cristiana [2]. I secoli seguenti trovano Napoli, o il suo « Reame », costantemente intrecciato alle maggiori vicende dell'Europa, talvolta in modo risolutivo, per opera dei suoi reggitori, condottieri, filosofi, giuristi, oratori, poeti ed artisti, in particolare dei non pochi Santi e Romani Pontefici, ai quali la terra napoletana diede i natali o la dimora. Per non citare che pochi sommi, ricorderemo i nomi di Virgilio, Publio Stazio, Tommaso d'Aquino, Gian Lorenzo Bernini, Giambattista Vico. Al qual proposito si è giustamente notato come la inclinazione innata dei napoletani verso gli studi filosofici e giuridici, unita alla naturale disposizione verso l'arte e la musica, rivela il profondo senso « umano » del loro spirito, che li rende quasi indifferenti verso altri valori, apparentemente più utili. L'indole del napoletano, — pur con qualche difetto, da cui non va esente nessun popolo—, non manca di alcuno di quei pregi che possono renderlo perfetto ed esimio; anzi, in alcune doti egli eccelle in tal modo da cattivarsi l'universale stima e simpatia. Tali sono, tra gli altri, il forte e pronto ingegno, la tenerezza dei sentimenti, l'apertura di animo, la propensione alla gioia, nonostante le avversità. Ammirata, soprattutto, la sincerità riguardo alla religione, quantunque l'istruzione religiosa non sia sempre sufficientemente diffusa in talune classi popolari, e si manifesti, pertanto, talora con forme forse troppo esteriori. Ma come si potrebbero ricordare in pochi tratti tutti i pregi da Dio largiti alla vostra terra,

[2] Cfr. *Act.* 28, 13-14.

tutte le pagine gloriose della vostra storia civile e religiosa, le splendide opere attuate dai vostri padri, le nuove vie aperte alle scienze dai vostri studiosi, e, in particolare, la costante testimonianza di fede e di santità data alla Chiesa, seguendo il vivo esempio del vostro glorioso Patrono, di cui custodite gelosamente le insigni reliquie?

Se non che voi desiderate che v'intratteniamo a considerare, non tanto le glorie del passato, quanto le presenti necessità della vostra regione, le quali, tutte insieme, costituiscono ciò che voi chiamate il « problema di Napoli », che, a sua volta, fa parte dell'altro più complesso e vasto « problema del Mezzogiorno », alla cui ardua soluzione sono attivamente rivolte, massime da oltre un decennio, le premure della Chiesa e della Nazione, ciascuna per ciò che è di sua spettanza, l'una mossa da dovere di carità e di apostolato, l'altra di giustizia e di solidarietà nazionale. Dall'ampia documentazione, gentilmente inviataCi circa le condizioni religiose, sociali, economiche, demografiche di Napoli e della sua Provincia, risulta che molti notevoli passi sono stati compiuti (o si stanno compiendo) verso la soluzione del problema; ma il cammino è ancora lungo ed aspro. Come non sarebbero sinceri coloro che nascondessero le deficienze e i ritardi nell'opera di risanamento delle « zone depresse », così non sarebbero onesti quanti, per partito preso insistessero nell'ignorare la ripresa, quasi prodigiosa, della vostra Città e Provincia fin dall'immediato dopoguerra. A ristabilire la verità basta paragonare le condizioni di allora con quelle di oggi. Lo stesso aspetto esterno delle vostre città è ben diffe-

rente da quello costernante del cumulo di rovine, in cui erano state ridotte dalle offese belliche. Il termine « irriconoscibili », ora attribuito a molti centri urbani, suona finalmente come sinonimo di rinascita e di progresso. Numerosi nuovi quartieri hanno colmato i vuoti spaventosi scavati dai bombardamenti; risorti e moltiplicati i cantieri, le officine, i centri industriali; ricostruite le chiese, le scuole, gli ospedali; riattivate e migliorate le strade e le ferrovie; ammodernati con opere imponenti i porti, popolati di nuovo naviglio; riordinati con moderne attrezzature i pubblici servizi delle comunicazioni e degli approvvigionamenti. A queste opere intese a ripristinare le condizioni normali di vita sconvolte dall'immane conflitto, debbono aggiungersi quelle tutte nuove, arditamente intraprese per portare la regione al grado di progresso già conseguito da altre.

Tuttavia molto resta ancora da attuare. Sussistono tuttora molte condizioni di miseria, spesso nascosta od ignorata, in cui si dibattono alcuni ceti del popolo, e che non possono lasciare indifferenti i cattolici e tutti gli onesti. In favore di questi Nostri figli, che soffrono senza loro colpa, e non hanno in sè stessi alcuna possibilità di migliorare il proprio tenore di vita, Noi desideriamo vivamente di interporre la Nostra parola. Innanzi tutto, la vostra stessa metropoli ha ancora bisogno di case e di lavoro. La carenza dell'uno e delle altre dipende dalla straordinaria densità della popolazione in un territorio relativamente angusto. Le statistiche — quelle almeno che abbiamo potuto consultare — mostrano che la densità di popolazione nella provin-

cia di Napoli, è in media, di 1800 abitanti per chilometro quadrato, vale a dire undici volte più elevata della densità media della Nazione. Grave è altresì il problema della disoccupazione. Da ciò deriva anche l'insufficienza delle abitazioni, con una percentuale di più di due persone a vano: il che significa che intiere famiglie dispongono appena di una sola stanza, tutt'altro che comoda e salubre. Si pensi, inoltre, che circa 30.000 persone sfuggono a questa troppo scarsa media, rifugiati ancora — e lo diciamo con tristezza — in circa 7000 tuguri, che non meritano il nome di casa. E non ne sono neppure degne quelle troppo umili abitazioni, dette « bassi », vale a dire locali angusti, inadatti alla vita di una famiglia. E' questo un problema a parte, che però deve essere affrontato e convenientemente risolto. Dalla disoccupazione e dalla deficienza di case è facile immaginare le sofferenze che derivano al vostro buono e generoso popolo, e le manchevolezze spirituali e morali, cui danno adito e che, per essere a tutti voi ben note, Ci asteniamo qui dall'enumerare. Nessuna, si può dire, delle grandi metropoli moderne va esente da simili piaghe; ma se queste affligessero, con una certa ampiezza, non un popolo, com'è il vostro, dalle tradizioni nobilissime, dall'ingegno aperto, dalla viva sensibilità, pronto ed ansioso di poter lavorare, ma pur senza la probabilità che le sue condizioni saranno presto mutate in meglio, le conseguenze potrebbero essere ben gravi. Si è infatti notato che talune forze sociali, cui non importa forse tanto di sollevare le condizioni degli umili e dei poveri, quanto di guadagnarle alla loro causa, abbiano preso

di mira le popolazioni meridionali con facili promesse di dare una soluzione piena al loro « problema », che, almeno per quanto riguarda la disoccupazione, sfugge pur troppo alle immediate possibilità della Nazione. A tal proposito desideriamo manifestare la Nostra ammirazione verso le dilette popolazioni del Meridione, per avere validamente resistito ai reiterati sforzi su di loro esercitati, non, come si è voluto affermare, per inerzia mentale o per sentimenti retrogradi, bensì per illuminata persuasione nella più volte provata verità, che il predominio di quelle forze si risolve sempre in servaggio intollerabile. Le popolazioni di Napoli e del Mezzogiorno hanno fino ad ora resistito con esemplare dignità alle insistenze del materialismo ateo, dimostrando non solo il solido fondamento religioso delle loro coscienze, ma la presenza attiva di quel senso altamente « umano », che sempre le ha distinte nella storia e fa tuttora loro apprezzare sommamente i valori dello spirito come indispensabili alla vita; vale a dire, la dignità e l'onore della persona, il possesso effettivo delle giuste civili libertà, gli affetti familiari, la devozione alla Patria. Ora vi domandiamo, diletti figli, che rappresentate in così gran numero Napoli ed il Mezzogiorno d'Italia: Siete ancora disposti a resistere per assicurare a voi ed ai vostri figli questi supremi valori della vita? — siete ancora pronti a stare saldi con vigilanza ed energia, affine di conservare intatti i tesori delle vostre tradizioni di civiltà? — manterrete sempre ferma la vostra fedeltà al Vicario di Cristo, che resta sempre al vostro fianco nelle persone dei vostri Arcivescovi, Vescovi, Parroci e Sa-

cerdoti? — L'odierno vostro Convegno in questa sacra città di Roma, in questo massimo Tempio del Cristianesimo, è già una risposta affermativa alla Nostra domanda, l'eloquente testimonianza del vostro proposito d'incrollabile devozione a Cristo e alla Chiesa.

Ma la resistenza delle popolazioni del Meridione all'azione del materialismo ateo non è soltanto attestato di alta civiltà e dignità, bensì un concreto contributo alla salvezza ed al bene della intiera Nazione ed un atto di fiducia nella comune Patria, che non deve andar deluso. Noi Ci auguriamo che coloro, cui spetta di determinare le particolari provvidenze a favore delle regioni italiane maggiormente colpite dalla disoccupazione, lo facciano con prontezza e perseveranza; che vengano in tal modo attuati i suggerimenti degli economisti, i quali indicano il rimedio, tra gli altri, nel trasferimento verso il Sud di capitali privati e pubblici, nella maggior estensione del credito, nella creazione di complessi industriali, in modo da assicurare agli operai un lavoro stabile ed elevare il reddito medio nel popolo.

Ma a che cosa varrebbe l'effettuata rinascita e l'auspicata generale prosperità, se non fossero accompagnate dal risanamento spirituale e morale delle piaghe, residue dalla guerra o da inveterata trascuranza, che tuttora affliggono alcuni ceti del popolo? La storia ed il presente dimostrano quanto spesso la piena prosperità, ove non sia guidata dalla sapienza umana e religiosa, segna il primo passo verso la decadenza. Esortandovi a progredire sempre più religiosamente, esprimiamo già la Nostra

soddisfazione per la fedeltà delle vostre popolazioni alla Chiesa, e, in generale, per il rispetto ai principii ed alle norme di vita cristiana. Ci sono note le molteplici intraprese dei sacerdoti secolari e dei religiosi per estendere dappertutto l'influsso cristiano ed elevare la cultura religiosa tra le classi medie del popolo. Ammirevole è la vostra unione col clero, l'assiduità alle sacre funzioni nelle chiese, la devozione alla Santissima Vergine, la viva partecipazione alle pubbliche manifestazioni di fede. Alcune associazioni di giovani studenti e di operai svolgono un lavoro proficuo, sia nel campo apostolco propriamente tale, che in quello della carità. Intensa è anche l'attività nel mondo del lavoro, svolta dagli zelanti Cappellani e dagli Assistenti sociali in conformità alle norme della Pontificia Opera di Assistenza e dell'Onarmo. Tuttavia non mancano settori dove bisogna incrementare il concreto influsso cristiano ed eliminare gravi deficienze. Occorre, in primo luogo, provvedere alla cura dell'infanzia nei ceti più poveri. Tutti voi conoscete le miserie materiali e spirituali, in cui versa una parte non irrilevante della fanciullezza napoletana e a quanti pericoli morali sia esposta. Quali che ne siano le cause, è un dovere della società religiosa e civile, quindi, del clero, delle autorità, dei cittadini tutti, di moltiplicare i loro sforzi, affinchè i genitori siano aiutati ad educare cristianamente e civilmente i loro figli. Ciò potrà farsi cominciando ad accoglierli negli asili, nelle scuole, negli istituti, nelle colonie, ove, insieme con un conveniente nutrimento, trovino la possibilità d'istruirsi, educarsi e qualificarsi ad un lavoro. Il molto che già si è

fatto in questo campo, specialmente dallo zelo operoso del novello Arcivescovo della vostra Metropoli, non deve far dimenticare quel che resta da compiere. Simili cure dovrebbero poi dedicarsi ad alcuni « quartieri popolari », al centro ed alla periferia, ove, non di rado, dietro le splendide facciate di piazze e di strade famose, trova ricetto, insieme con la miseria e le sofferenze, il malcostume. Noi non dubitiamo che voi, animati come siete dallo spirito dell'apostolato e della carità, prenderete massimamente a cuore la sorte di questa parte del popolo, istituendo opere di assistenza orale, avvicinando le singole famiglie, per accrescere in loro la coscienza della dignità del cristiano. Un altro settore che merita assidue cure è quello del lavoro, particolarmente industriale, le cui necessità spirituali e morali non sono diverse da quelle comuni a tutte le regioni italiana.

Con vivo compiacimento abbiamo perciò letto la relazione inviataCi dalla Delegazione Regionale Campana della Pontificia Opera di Assistenza e dell'Onarmo, riguardante l'attività dell'anno testè trascorso, ricavandone motivi di conforto e di speranza. L'elevata cifra di 80.000 lavoratori assistiti nelle centinaia di aziende, fabbriche, cantieri, nuclei di pescatori e di marittimi, comunità di braccianti e cantieri di lavoro, sono senza dubbio un bel numero. E quale cumulo di bene si cela dietro l'aridità di questa cifra! Da una parte, le sante fatiche ed i nascosti sacrifici dei valorosi Cappellani del lavoro e degli Assistenti Sociali, che prodigano le loro energie sugli spalti più avanzati del fronte di Cristo, con intraprese multiformi, quali,

ad esempio, i convegni di lavoratori cristiani, i ritiri minimi, la formazione degli « operai-tipo », la diffusione della buona stampa, le sacre celebrazioni sui posti di lavoro, i devoti pellegrinaggi, le scuole di qualificazione, l'assistenza ricreativa ai figli, le visite ai malati; da parte degli stessi operai, quanti frutti di vita eterna mediante la preghiera e i sacramenti, quale avanzamento nella cristiana formazione delle coscienze e nell'esercizio delle virtù religiose e civili! Voglia Iddio benedire la generosa dedizione degli uni e la docile rispondenza degli altri, estendendo la sua grazia e la sua presenza in ogni luogo ove l'uomo obbedisce al precetto « Con sudore del tuo volto mangerai il pane » [3], e ove il fragore della macchina può attutire, ma non soffocare, non asservire il palpito del cuore umano!

Ecco, diletti figli e figlie di Napoli e della Campania, quanto il Nostro cuore ed il Nostro Ufficio pastorale Ci hanno suggerito di dirvi. La Nostra paterna esortazione vi dimostra quanto grandi e vive siano l'attesa e la fiducia che riponiamo in voi. Un principio fondamentale ha sempre ispirato l'azione della Chiesa: conquistare a Cristo nuove plaghe, ma senza abbandonare le già acquisite; avanzare in nuove direzioni e con nuovi metodi, ma senza rinunziare a quelli comprovati dalla tradizione; intraprendere nuove imprese, ma senza distruggere le antiche. La vostra regione è un'antica e salda conquista della Chiesa, vanto e decoro della sua storia. Per quanto urgenti ed importanti possano essere le sollecitudini del Vicario di Cristo

---

[3] *Gen.* 3, 19.

nella incertezza dei tempi presenti, il vostro popolo e i vostri bisogni non saranno mai dimenticati nè negletti. RivolgendoCi, in particolare, ai vostri esimi Pastori ed ai cattolici più ferventi, vorremmo esortarli a persuadersi che la sola tradizione non dà sicurezza, ma occorre radoppiare lo sforzo e la vigilanza per mantenerla e tutelarla. Nessuno si lasci tentare dal pensiero che ciò che oggi si perde, sarà ricuperato domani, nè dalla opinione che il bene, la verità, il buon senso finiscono sempre col prevalere per se stessi. Se, con lo straordinario potere di ricuperamento dimostrato dal vostro popolo, è stato possibile di ricostruire in un decennio una grande città materialmente devastata, non è così per le rovine delle anime, delle tradizioni, dei buoni costumi, della vita spirituale. « Vigilate et orate » [4]: vi ripetiamo dunque col Divino Maestro.

Con questi propositi, con questo spirito, tornerete alle vostre incantevoli città, alle leggiadre marine ed isole, alle ubertose campagne, alla terra particolarmente benedetta da Dio, per operare ciò che Dio vi ha manifestato di volere. La sua grazia ed i suoi favori vi accompagnino e vi sostengano!

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Suprema Sacra Congregatio S. Officii

9 - COMMONITIO

(AAS. L [27 febr. 1958] p. 114)

Relatum est ad hanc Supremam Sacram Congregationem quosdam, per speciem veteris liturgiae revocandae vel participationis christifidelium in divinis officiis iuvandae, editis scriptis adniti ut novae vel exoletae orationes seu precationes aut lectiones divinarum litterarum liturgicis functionibus et ipsi Missae celebrationi inserantur, vel ex eisdem quaedam deleantur.

Quare haec Suprema Congregatio, Summo Pontifice adprobante, locorum Ordinariis, quibus ius est et officium advigilandi ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur (can. 1261 § 1), commendat ne novos ritus et caerimonias vel lectiones et precationes, inconsulta Sede Apostolica, in divina officia induci vel ex eisdem quidquam detrahi sinant.

Iidem moneant clericos, tum saeculares cum regulares, unius Apostolicae Sedis esse sacram liturgiam ordinare, liturgicos libros et novas litanias publice recitandas adprobare (can. 1257 et can. 1259 § 2); orationes et pietatis exercitia in ecclesiis vel oratoriis permitti non posse sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia, qui in ca-

sibus difficilioribus rem totam Sedi Apostolicae subiicere tenetur (can. 1259 § 1).

Datum Roma, ex Aedibus S. Officii, die 14 Februarii anno 1958.

ARCTURUS DE JORIO, *Notarius.*

10 - MONITUM

(AAS. L [27 febr. 1958] p. 114)

Mos alicubi invaluit differendi collationem baptismatis ob confictas rationes vel commoditatis vel indolis liturgicae. Cui dilationi favere queunt nonnullae sententiae, solido quidem fundamento carentes, de sorte aeterna infantium sine baptismate decedentium.

Quare haec Suprema Sacra Congregatio, Summo Pontifice adprobante, christifideles monet infantes quamprimum baptizados esse iuxta praescriptum canonis 770. Parochos autem et concionatores hortatur ut huius obligationis exsecutionem urgeant.

Datum Roma, ex Aedibus S. Officii, die 18 Februarii anni 1958.

ARCTURUS DE JORIO, *Notarius*

Sacra Congregatio Concilii

11 - EXCOMMUNICATIONIS DECLARATIO

(AAS. L [27 febr. 1958] p. 116)

Sacra Congregatio Concilii, Decreto diei 16 Iulii 1957, n. 25446/D, attentis peculiaribus in Hungariae Ditione adiunctis, ad sinceram sacerdotalis

ordinis dignitatem tuendam publicumque animarum damnum praecavendum, sequentia statuit sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae ac speciali modo Sedi Apostolicae reservatae:

Sacerdotes sive saeculares sive religiosi in Hungariae Ditione munus Deputati vel aliud quodcumque munus in Parlamento sollicitare aut acceptare prohibentur;

Sacerdotes vero, sive saeculares sive religiosi, qui aliquod huiusmodi munus actu iam detinent, idem intra mensem a publicatione eiusdem Decreti dimittere praecipiuntur, sumulque vetantur Parlamenti sessionibus adesse ac quamcumque operam praestare quibusvis activitatibus cum dimisso munere connexis (*Acta Apostolicae Sedis*, vol. 49, a. 1957, pag. 637).

Cum vero Sacerdotes Recaredus Horváth, Nicolaus Beresztóczy et Ioannes Máté praedictas normas violaverint eadem Sacra Congregatio Concilii, prae oculis habitis canonibus 2223 § 4 et 2229 § 3 n. 3°, de speciali mandato Ss.mi Domini Nostri Pii Papae XII, declarat praefatos Sacerdotes in excommunicationem speciali modi Sedi Apostolicae reservatam incurrisse ideoque eiusdem poenae effectibus devinci, de quibus in canonibus 2259-2267.

Eadem Sacra Congregatio statuit insuper praedictos Sacerdotes a praefata excommunicatione absolvi non posse nisi prius et muneri de quo supra effective ac definitive renuntiaverint et certa resipiscientiae signa dederint. Quod reapse esse eventurum Ipsa confidit et vehementer exoptat, ne invita cogatur ad gravius in contumaces animadvertendum.

Quibusvis, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Roma, die 15 Februarii 1958.

P. Card. Ciriaci, *Praefectus*

L. ✠ S.

F. Roberti, *a secretis*

Sacra Congregatio de Religiosis

12 - INSTRUCTIO

(AAS. L [24 febr. 1958] p. 99)

DE IUVENUM UTRIUSQUE SEXUS PROMISCUA INSTITUTIONE

Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, eo semper ducta studio, ut religiosos et religiosas, in variis ipsorum muneribus obeundis, confirmaret adiuvaretque, de Augusti Pontificis mandato, perplexam questionem de iuvenum utriusque sexus promiscua institutione, seu « coeducatione », diligentius petractandam sategit.

Postquam ergo Apostolicae Sedis Legatos, iis in regionibus degentes, quarum res maxime interest, consuluit, idem Sacram Consilium, Summi Pontificis mandato obsecutum, Coetum egit « Plenarium mixtum », quo penitius et accuratius quaestio enodaretur; cui Coetui Plenario, eodem hoc Sacro Consilio moderante, interfuerunt delecti viri Sacrarum Congregationum Consistorialis, pro Ecclesia Orientali, Concilii, de Propaganda Fide, de Seminariis studiorumque Universitatibus.

Animadversiones autem, vota hortationesque in unum congesta, ab infrascripto Cardinali Praefecto huius Sacrae Congregationis Augusto Pontifici, in Audientia diei 5 Martii 1957, subiecta sunt ut ea probare dignaretur. Sanctitas vero Sua omnia rata habere et confirmare dignata est; atque conclusiones, non solum a religiosis sed ab omnibus quorum interest rite fideliterque servandas, ab hoc Sacro Consilio, praesentis Instructionis forma et tenore, publici iuris fieri mandavit.

Hae autem in tres partes distributae sunt, quarum diversa haec sunt capita: 1. Principia; 2. Normae; 3. Cautiones.

1. Principia, vel primariae rationes et quasi fundamenta proponuntur, quibus recte iudicari possit de « coeducatione », sive ad theoricen, sive ad praxim quod attinet.

2. Normae, quae obligandi vim obtinent, prae oculis haberi et servari debent omnibus et singulis in casibus, in quibus « coeducatio », propter peculiaria rerum adiuncta, necessaria videatur.

3. Cautiones hic recensitae ita suadentur ut principia et impertitas normas compleant; atque adhiberi poterunt tamquam ea ratione propositae, ut singulis in casibus lumen de agendi modo praebeant.

De « coeducationis » argumento hic disseritur dumtaxat prout ad scholas secundi ordinis spectat; nam in studiorum Universitatibus haec res non agitur, et, quod ad ludos litterarios, seu in quibus litterarum elementa traduntur, attinet, Ordinariis data est facultas tempus definiendi, quo pueri et puellae in huiusmodi scholis simul institui possint.

I - Principia

1. « Coeducatio », quae proprie vereque dicitur, generali modo et per se probari nequit.

2. Quamvis nonnulla commoda proficisci possint a « coeducatione », quae quidem probae vitae familiaris sit quasi continuatio, quaque utriusque sexus iuvenes, necessitudine quadam modeste se attingentes, et nobili veluti certamine inter se contendentes, ad egregia et praeclara excitentur et se invicem compleant, tamen, si res definite et in vitae usu consideretur, scilicet prout haec instituendi ratio fieri solet, pericula morum, quae in ea insunt — maxime pubertatis tempore — sine ulla dubitatione longe maiora sunt quam commoda, quae inde forsitan percipiantur.

3. Itaque Litterae Encyclicae « Divini Illius Magistri » habendae semper sunt veluti « Magna Charta », quod ad educationem et promiscuam hanc instituendi rationem pertinet; sic enim ibi praescriptum est: « fallax atque christianae institutioni infensa illa adolescentes instruendi ratio habenda est, quam vulgo coeducationem appellant; eorum enim qui ipsam tuentur, bene multi idcirco tuentur quia aut non considerant aut negant protoparentum labe vitiatum nasci hominem; plerique vero omnes, quia tali notionum perturbatione laborant ut legitimum hominum convictum habeant quasi quemdam virorum ac feminarum omnibus plane rationibus parium inconditum acervum ... ». (AAS, 1930, p. 72).

4. Verumtamen infitiandum non est, quibusdam in casibus, necessitatem practicam iuvenes simul promiscueque educandi devitari non posse, cum peculiaria omnino rerum locorumque habeantur adiuncta, quibus efficitur ut « coeducatio » minus malum sit existimandum.

5. Negandum enim non est quibusdam in regionibus, iuvenes publicas scholas obeuntes in gravi periculo Fidei versari.

Catholicis vero — numero paucioribus — non semper copia est scholas pro pueris et puellis seiunctas aedificandi eiusque necessarias opes suppeditandi; ita enim expensae iis duplicandae essent, qui interdum vix unam scholam catholicam exstruere et alere possunt.

Iuvenes ergo reapse coguntur:

a) aut scholas publicas adire, in quibus promiscue, nulla habita ratione religionis, instituuntur, magno cum discrimine Fidei morumque;

b) aut scholas catholicas promiscuas frequentare, ubi Fidei periculum nullum impendet atque, certis adhibitis cautionibus, magna pars periculorum quoad mores prohiberi potest.

6. Si scholae catholicae promiscuae, secundum ea, quae supra dicta sunt (cfr. n. 5), cautionibus utique servatis, habeantur, « coeducatio » etiam ad normam Litterarum Encyclicarum « Divini Illius Magistri » videtur tolerari posse, quoniam ad huiusmodi scholarum doctores haec manifesto non pertinent verba: « non considerant aut negant protoparentum labe vitiatum nasci hominem, plerique vero omnes, quia tali notionum perturbatione labo-

rant ut legitimum hominum convictum habeant quasi quemdam virorum ac feminarum omnibus plane rationibus parium inconditum acervu » (l. c.).

II - Normae

7. Sicubi « coeducatio » reapse tolerari necesse sit, normae certae oportet impertiantur, ut pericula morum ex hac instituendi ratione forte oritura praepediantur.

8. Sedes Apostolica suadet vel favendo provehit educandi rationem quae « coinstitutio » vulgo appellatur, secundum quam unum habetur Institutum vel aedificium, duabus instructum scholis pro pueris et puellis seiunctis conclavium ordine naturalibus disciplinis exercendis, ad quas separatim horisque diversis et puellis pateat aditus. Hoc enim modo fiet ut sumptus valde imminuantur utque amplius ibi re vera non habeatur « coeducatio ».

Quodsi eiusmodi « coinstitutio » haberi non possit, praecipitur ut in relationes quinquennales opportunus numerus quaestionum inducatur, quibus Sedes Apostolica certior reddatur de agendi modo in scholis, ubi utriusque sexus iuvenes promiscue educantur.

Quemadmodum supra dictum est, Excmi locorum Ordinarii principia generalia ac normas ad effectum deducenda curent, prout singuli casus in propria dioecesi occurrentes postulant.

Praeterea, in cuisque Nationis Coetibus Episcopalibus, iidem Ordinarii certas definitasque re-

censere poterunt normas, quae prae oculis haberi et servari debeant iis in casibus, in quibus « coeducatio » necessaria videatur.

III - Index generalis cautionum adhibendarum

Cum neque utile videatur neque prudentiae consentaneum, ut ab Apostolica Sede index singularum omnium cautionum edatur, eo quod hominum rerumque adiuncta variis in regionibus valde inter se discrepent, hic normis supra expositis breves animadversiones generales adiciuntur, quae, singulis in casibus, in promptu haberi possunt, quasi lumina agendi rationi praelucentia.

1. Superiores et antistitae scholis, quae « coeducationis » ratione reguntur, eos attribuant religiosos et religiosas, quorum virtus et maturum iudicium experientia sint comprobata. Iis vero peculiari modo invigilent, ut quodvis malum praecaveatur, utque iisdem eae praesto sint cautiones, quae a fideli observantia disciplinae religiosae promanant.

2. Cuilibet scholae attribuatur Praefectus religionis vel Magister pietatis, cuius sit vitam spiritualem Instituti moderari.

3. Religiosi non nisi raro et extrema compellente necessitate, et utique antea obtento ab hac Sacra Congregatione indulto Apostolico, scholas secundi ordinis promiscuas sinantur moderari.

4. Cum magistris e laicorum ordine institutio mandatur, maxima habeatur cura ut tales deligantur doctores, qui nulla prorsus laborent suspicio-

ne et qui efficacem praebere possint operam ad puerorum et puellarum mores rite conformandos.

5. Mutua vitae consuetudo, quae inter utriusque sexus iuvenes ex eadem schola intercedit (veluti coetus sociales hisque similia), magna cum moderatione modestiaque fiat; neque umquam vigilantia desit, prouti diversa temporis et loci adiuncta postulent.

6. Abstinendum est a ludicris corporum exercitationibus vel certaminibus gymnicis, quae ab utriusque sexus iuvenibus simul edantur.

7. Internae convictus sedes, utrique sexui destinatae, institui ne sinantur.

8. Studiose curetur ut iuvenes utriusque sexus invicem separentur:

a) in scholarum auditoriis, ita ut discipuli diverso sedeant ordine, scilicet ab altero latere pueri, ab altero puellae;

b) in introitu et gressu, in spoliariis hisque similibus;

c) certis in praelectionibus, scilicet:

1° cum agitur de rebus ad sextum Decalogi mandatum pertinentibus;

2° cum agitur de serie auditionum valde particularium circa biologiae disciplinam;

3° cum agitur de auditionum serie vel praelectionibus circa cultum humanitatis vel psychologiam, quae ad diversi sexus alumnos referuntur;

4° cum agitur de disciplina artis giymnicae;

d) in lusionibus.

9. Semper adsit religiosus vel alia persona probatae fidei, quae advigilandi munus exerceat.

10. Animis iuvenum inculcetur, ut digne inter se agendi ratione contineantur.

11. Religiosi qui munus docendi aut sacrum ministerium exercent apud discipulas Institutorum, etiam ubi « coeducatio » viget, sibi creditum tantummodo munus exercere debent, caventes ne alius consuetudinis usus sibi cum illis intercedat.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Roma, ex aedibus Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die octava mensis Decembris, anno 1957.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. ✠ S.

Arcadius Larraona, C. M. F. *Secretarius*

Sacra Congregatio Rituum

13 - DECLARATIO

(AAS. L [24 febr. 1958] p. 103)

Cum plures religosae Congregationes et Societates vitae communis sine votis publicis a Sacris Congregationibus Consistoriali et de Propaganda Fide dependentes quaesierint « an integra ordinatio institutionis, quae in Constitutione Apostolica " Sedes Sapientiae " et in Statutis Generalibus eidem Constitutioni adnexis continetur, ipsas quoque teneat ac comprehendat », Summus

Pontifex in Audentia infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae Praefecto, die 30 Iulii 1957, benigne concessa, declarare dignatus est et respondere: *Affirmative,* salva, quoad functionem mere exsecutivam (art. 18), competentia Sacrarum Congregationum Consistorialis et de Propaganda Fide in Religiones et Societates ipsis iure (can. 252 § 1) vel privilegio apostolico subiectas.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. ✠ S.

P. Arc. Larraona, *Secretarius*

14 - URBIS ET ORBIS
(AAS. L [24 febr. 1958] p. 104)

FACULTAS BENEDICTIONEM CINERUM ITERANDI IN MISSA VESPERTINA

Ordinariis quibusdam instantibus, Summus Pontifex Pius Pp. XII, praehabito Sacrae Rituum Congregationis favorabili suffragio, Ordinariis locorum facultatem concedit permittendi, ut in ecclesiis ubi Missa vespertina cum magno fidelium concursu celebrari solet, benedictio Cinerum, quae iuxta rubricas, Feria IV Cinerum, semel mane ante Missam principalem peragenda est, ante Missam quoque Vespertinam iterari possit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Die 5 Februarii 1958.

C. Card. CICOGNANI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *a secretis*

IOANNI XXIII

AD - PONTIFICATUS - MAXIMI - FASTIGIUM

DEI - PROVIDENTIA - EVECTO

COMMENTARIA - HAEC - PERIODICA

DE - TANTAE - DIGNITATIS - HONORE

GRATULANTUR

IN - OMNI - DOCTRINA - FIDEM

CUIVIS - EIUS - VOLUNTATIS - NUTUI - OBSEQUIUM

PROFITENTUR

EIQUE - COMMUNIBUS - VOTIS - A - DEO - PETUNT

UT - DIU - REM - CHRISTIANAM

REGAT

PASTOR - BONUS - NAUTA - INTREPIDUS

PIO XII

PATRI - OPTIMO - SANCTISSIMO

VII - IDUS - OCTOBRES

REBUS - MORTALIBUS - EREPTO

QUI

IN - EXEMPLUM - PRUDENS - SOLLERS

CHRISTI - ECCLESIAM - ANNOS - UNDEVIGINTI

DOCTRINA - CONSILIO - PIETATE

REXIT - ILLUSTRAVIT

CIVIUM - IURA - PACEM - CONCORDIAM

DEFENDIT - STRENUUS

BEATITATEM - A - DEO - CAELESTEM - ADPRECAMUR

MEMORIAM - TESTAMUR - SEMPITERNAM

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE MISSIONE CANONICA REGULARIUM

Cultores historiae iuris canonici non latet phenomena et situationes aliquando eo modo repeti, ut acta et gesta, quamquam quoad tempus valde distantia [1], mira identitate se praesentare videntur. Quod tamen occasionem praebet, ut ex similitudine externa recentia facta non solum antiquioribus comparentur, sed et facilius ad identitatem reducantur, ut etsi non verius saltem clarius repetitio demonstretur. Itaque aliquibus visum est missionem, quae conferat facultatem concionandi, post Codicis promulgationem identificari licere eae missioni, quae ante ortum ordinum mendicantium conferri solebat [2]. Quorum privilegia, quantum ad

---

[1] Nostris diebus e. g. quaestiones agitantur: Quare confessio peccatorum pro Ecclesia adhuc requiratur, si peccata iam pro Deo, uti dicitur, remissa sunt per contritionem perfectam; vel: quaenam species cleri superet aliam, utrum saecularis an regularis?

Hae quaestiones iam motae sunt saeculo XII., respective tractatae ab ABAELARDO (P. L. 178, 668) et a RUPERTO VON DEUTZ (P. L. 170, 537-543 et 663-668).

[2] Ita E. FEYAERTS, *Studia Catholica*, 25 (1950), 239. Pro sua sententia plures auctores citavit. Citationes eius tamen caute tractandae sunt, quia in nota 29. refertur auctor J. B. PIERRON, ac si in his citatis inveniretur textus de Humiliatorum concionatoribus.

praedicationem[3], nunc ita reducta essent, ut iterum « in Codice statutum sit, episcopum, quod ordini normali in Ecclesia consentaneum est, pastorem esse gregis sui et alios praedicatores eiusdem adiutores »[4]. Ad limandam thesim adducuntur sequentia verba Benedicti XV f. m., desumpta ex encyclica « Humani generis »: ... « Praedicationis munus, ex Tridentinae Synodi doctrina, *Episcoporum praecipuum est.* Quare in hoc munere quicumque praeter episcopos versantur, dubitandum non est quin episcopali fungentes officio satisfaciant »[5].

De quibus tamen ibi non est sermo, sed de Lombardis reconciliatis et nullum verbum de praedicatione inveniri potest. Cfr. J. B. Pierron, *Die katholischen Armen.* Freiburg i. Br., 1911, 178, 181 (Regula I et II Lomb. reconc.).

Quod auctores regulam vocant indicabimus nomine institutionis. Ita enim in bullis ad ista documenta refertur. Apud Innocentium III. e. g. legitur in bulla ad Humiliatos (*Omnis bonis principium*) anni 1201: « In primis siquidem statuentes, ut in vestris *ecclesiis* ordo canonicus secundum Deum et institutionem vestram per Sedem Apostolicam approbatam ... observetur ». Porro legatur: « secundum Deum et beati Augustini regulam atque institutionem vestram » ... Ex verbo ' ecclesiis ' etiam legitime deduci potest Humiliatos canonicis connumerari. Verba ' ordo canonicus ', secundum L. Zanoni (*Gli Umiliati.* Milano, 1911, 94) « la prova decisiva », ad hanc pertinentiam probandam non sufficere alibi probavimus (cfr. art. nostrum, in *CpR.*, 36 (1957).

[3] Officium praedicandi consequitur illud audiendi confessiones, ut dicitur in Extra Comm., V, VII, 1 (ed. Friedberg, II, 1297): « Sed quia multoties propositum verbum Dei audientem a peccato non retrahit: idcirco post praedicationem necessarium est poenitentiae sacramentum ».

[4] E. Feyaerts, l. c., 239 sq.

[5] *AAS.*, 9 (1917), 307. Hanc Tridentinam praescriptionem praesertim latam esse contra negligentes prelatos et nullorum Concilii participantium protestatum esse, nemo est qui nescit. Cfr. *Concilii Tridentini Acta,* ed. societatis Goerresianae, Pars VI, 981 sqq. Iam anno 1546 in quadam sessione de praedicatione actum erat. Ex

Praeterea etiam S. C. Consistorialis *normae* adducuntur, quae pro sacra praedicatione sancitae sunt, quibusque R.mi locorum Ordinarii uti debeant ut tuto in re tam gravi procedant. Harum normarum in capite primo verba Tridentinae Synodi afferuntur: « Nullus autem saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumet ». Quod plane — ut ait Instructio — in novo ecclesiastico Codice confirmatur can. 1327, 1328 et 1337. Deinde in n. 4 clare praescribitur: ... « in reliquis casibus universis — de Episcopo, de Parocho et de Canonico Theologo iam actum est in ns. 2 et 3 — ad praedicandum populo fidelium in publicis templis vel oratoriis, etiam regularium, et a sacerdotibus etiam regularibus, necesse est ut facultas obtineatur ab Ordinario dioecesis » [6].

En illorum thesis argumentis suis corroborata.

Seponamus quaestiones connexas, nempe de facultatibus concionandi concessis non ab episcopis sed et a simplicibus presbyteris localibus [7], de

---

diario MASSARELLI, Concilii segretarii, apparet, praeter supra relatam rationem, etiam abusum admittendi laicos ineptos immo et mulieres ad onus praedicandi decreti refromationis causam fuisse. (Diariorum pars I, ed. citatae, 501 sqq.). Episcopus Bitontinus proposita ad reformandam praedicationem decreta praelegit, in quibus adhuc nullum verbum de subjectione regularium sub episcopis (Ex diario SEVEROLI, o. c., 46). Haec non erat intentio synodi, sed subjectionem post acuerrimas (e. g. ib., 63) discussiones pro meliori bono in Ecclesia « tandem » (ita Card. DE MONTE, ib., 64) multis tamen patribus dissentientibus decrevit Synodus (Sessione V., cap. II, 243 sqq.).

6 *AAS.*, 9 (1917), 328 sq.

7 Synodicae Constitutiones V. ODONIS episcopi Parisiensis determinant: « Item dictricte prohibetur sacerdotibus ne permittant

facultatibus etiam datis laicis viris praedicandi et instruendi plebem sibi commissam [8]; praetermittamus etiam casus, in quibus laici, in quacumque potestate constituti, onus praedicandi legitime mandaverunt quibus libebat [9]. Itemque non atten-

praedicare aliquos ignotos sive illiteratos, etiam extra ecclesiam, sive in viis, sive in plateis, sive in aliis locis parochiae suae ». (Pars II, n. 41); P. L. 212, 67). Ibidem legitur in no. 16.: Nullus recipiatur ad praedicandum, nisi sit authentica persona, vel ab episcopo vel archidiacono missus ». Enumeratio locorum stat pro omni genere praedicandi: a solemniori forma explanandi fidem usque ad simplicem exhortationem. « Ignotos vel illiteratos » praesertim stare pro laicis viris suspectis affirmant historici (e. g. SCHNÜRER). Lombardi reconciliati in mente habuerunt, sicut et ipse S. Franciscus, ut exhortarent populum more laicali. Innocentius eos obligavit clericos fieri, ut largioribus mediis salutem populi curare possent (J. B. PIERRON, o. c., 154). Tridentina Synodus tandem universaliter onus praedicandi seculari et regulari clero reservabit (Sessio 24, c. 4).

[8] « Qui sacrum ordinem non habent, non facile in plebe Dei audiendos; id est nisi evidentia signa habeant, quod a Deo sunt missi. Et si rectoribus Sanctae Ecclesiae obedientes non fuerint, patet, quod non sunt missi, sed per se venerunt ». (BERNARDUS ABBAS FONTIS CALIDI, *liber contra Waldenses*, cap. V., n. X; P. L. 204, 816). Haec de illis qui a Deo tantum mittuntur. Qui autem a Deo et homine mittitur (ib. n. VIII), id est qui de licentia episcopi vel presbyteri (n. XII) praedicat, semper debet esse laicus Catholicus, attamen semper « formidolosum est committere laico talentum verbi » (ib.).

[9] Hic sufficit referre ad institutum « propriarum ecclesiarum et monasteriorum », quod ius ex eo exsurgens sub Alexandro III mutatum est in ius patronatus (cfr. M. PACAUT, *Alexandre III*. Paris, 1956 (1954), 291-293). Observandum est iis temporibus iurisdictionem (officium) et ordinationem non fuisse notiones distinctas, sicut tardius (saec. XIII) a scholasticis elaborabuntur.

HINCMAR REMENSIS, acerrimus defensor ecclesiarum propriarum, in ecclesia occidentali primus fuit, qui clare distinxit potestatem iurisdictionis inter et ordinis (Opusculum 55, c. 35; P. L. 126, 421 sq.). Quod in legislatione primo clare apparet in decreto Lucii III contra haereticos (1184), in par. 6, 7 et 10 (*Bullarium*

dimus evolutionem de ordinatione relativa ad illam, quae vocatur absoluta, in qua evolutione magis magisque a potestate Sacramenti conficiendi seiungitur iurisdictio, quae facultatem praedicandi et confessiones audiendi secumfert, ita ut immo specialis facultas requiratur haec faciendi, quae olim in « ordinatione ad locum » continebantur, quod hodie tantum in ordinatione episcopali conservatum est [10]. Attamen iam enumeratione horum aspectuum satis clare appareat cleri conditionem et ordinationem sub hodierna legislatione eandem non esse ac in Ecclesia ante saeculum XIII.

Pro argumento nostro latius immorandum est in illa tumultuosa motione, qua saeculum XIII toto coelo a praeteritis differt. Cuius motionis usque in hanc diem influxus non cessavit. Putamus ortum sic dicti tertii ordinis, qui sine terrenis possessionibus (litterali sensu accipiendo), independens a quocumque loco, mobiliter vivit de artefactis et negotiatione. Cuius ordinis membris interest securitas et pax in regnis, ad hoc centrali auctoritate praeditis, ut tuto laborent et itinerentur. Haec

---

Rom., ed. Taurina, 1858, III, 21 sq.). His praemissis F. VAN ROESSEL libenter concedimus RAYMUNDUM DE PEÑAFORT has notiones scientifice elaborasse (cfr. *Studia Catholica*, 1950, 148-65 et M. VAN DE KERCKHOVE, *De notione jurisdictionis apud decretistas et priores decretalistas* (1140-1250). *Jus Pontificium*, XVIII (1938), 10-14).

10 Quoad presbyteros: vestigium quasi oblitteratum invenitur in officio parochi: eo ipso parochus gaudet facultate audiendi confessiones subditorum et praedicandi verbum Dei (*AAS.*, 9 (1917), 329). Est tantum vestigium, quia nondum aliquis ordinatur presbyter localis, sed, presbyter factus, fit parochus localis (c. 453, § 1). Aliud vestigium praestat in « canonico titulo » ordinationis (c. 974, n. 7).

nova conditio requirit formam curae animarum accomodatam. En causae originis earum societatum [11], quae corporationibus socialibus assimilari possunt, nempe ordinum regularium absque terrenis possessionibus, quod verbis foedalibus nihil aliud significat quam pauperes et mendicantes esse (« des gueux »). Vivunt enim et ipsi de labore [12] et

---

[11] Cfr. *Rerum Novarum*, Litt. Encycl. LEONIS XIII f. m. (*Acta*, XI, 106; 109 et sqq.), ubi significatio illius nominis « ordo » stabilitur.

L. ZANONI, *Gli Umiliati nei loro rapporti con l'eresia, l'industria della lana, ed i comuni nei secoli XII e XIII*. Milano, 1911, 5, loquitur « del moto Valdese » et « di un altro movimento in Lombardia, dei Poveri Lombardi », ut indicet rerum novarum excitationem religiosam. Quae formam induit fraternitatem et societatum. His nominibus eos indicamus (sicut quoque INNOCENTIUS III, 1, XI, 196; P. L., 215, 1510; XII, 17; P. L., 216, 29), ne intelligamus eos tali modo convivere vel consociari qualis nomen ordinis insinuaret. De cetero idem valet pro Humiliatis (et Jambonitis) in primaeva periodo eorum evolutionis. Tamen in suis institutionibus, sicut ex bulla *Cum felicis memorie* GREGORII IX, anni 1227, apparet, se interdum vocant congregationem (c. 39) et ordinem (c. 40). Una domo convivunt primus ordo (presbyteri) et secundus ordo (laici continentes: viri et mulieres; cfr. P. L. 216, 601), qui vel « possessiones terrarum aut prediorum » retinet (c. 39), vel de labore manuali vivit (L. ZANONI, o. c., 366 sq.). Hoc genus vitae ortum esse ex tertio ordine, id est ex societate familiarium qui religiosiori modo vivere intendebant, tamen vitam conjugalem ducentes et domibus suis degentes, pro Humiliatis vide J. B. PIERRON, o. c., 17 et L. ZANONI, o. c., 54; 93).

[12] Tempore LEONIS XIII adhuc vocantur pauperes, qui victum labore quaerunt. Ita *Rerum Novarum* (*Acta*, XI, 114). INNOCENTIUM III eos paulatim a labore manuum liberasse, ut libere expediteque praedicationi vacarent et viverent de eleemosynis, statuitur pro Lombardis reconciliatis a J. B. PIERRON (o. c., 150 sq.). G. M. MONTI, *Le confraternite medievali*. Venezia, 1927, II, 15 sqq. inter motiva originis confraternitatum amicitiam vel propinquitatem, dependentiam ab ecclesia vel monasterio, denique consocietatem in artibus enumerat: huic motivo obvium esse ut insisteretur affirmat

si deficit reditus colligunt nec decimas nec primitias, quia plebs nec terrena colit neque possidet, sed quaestuant quod civibus et oppidanis superest de esu et de provisione. Proinde proletariatus primaevus exsurgit, qui sub nominibus Humiliatorum, Waldensium et Pauperum catholicorum priores has societates constituit, quae cum quadam inspiratione religiosa se opponunt auctoritati foedali, sive saeculari sive spirituali. Est imperiturus honor Innocentii III eis viam ad et in Ecclesiam stravisse, ita ut ex oppositione ad inserviendas universales Ecclesiae sollicitudines eos adaptavit [13]. Charismatici et pseudo-charismatici, in vinea Domini acephali errantes et ordinem disturbantes, missione canonica inseruntur ad apostolatus utilitatem

---

auctor. In introductione operis sui affirmavit associationes religiosas laicales praecedisse originem « del comune » et « delle compagnie di Arti e di Armi » (I, XI).

[13] DURANDUS DE OSCA (= Huesca in Aragon), ex Waldesii ad Ecclesiae unitatem conversus et cum quibusdam sociis fundator ordinis Catholicorum pauperum, approbante Innocentio III anno 1208 inter cetera confessus est: « Praedicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus; tamen ex auctoritate vel licentia summi Pontificis vel praelatorum permissione illam credimus exercendam ». In proposito adjecto huic confessioni per modum Institutionum de hoc legitur: « ... verbum Domini censuimus proponendum in schola nostra fratribus et amicis cum praelatorum vero licentia et veneratione debita ». Anno 1210 ultima verba ita mutata sunt: « ... fratribus et amicis, cum praelatorum conscientia et assensu, ita quod ab eis propter hoc nec ecclesiarum frequentatio nec clericorum praedicatio postponetur ». (P. L. 215, 151 sq.; 216, 73). En antiquior ordinatio clericalis ordinis novae conditioni societatis ecclesiasticae et civilis accomodata. Humiliatorum « congregatio » et illud Tusciae « consortium », de quibus agit G. M. MONTI (o. c., II, 139), sunt ordines mixti, ut ex eorum quoque institutionibus appareat. Lombardi reconciliati anno 1212 in clericalem ordinem transformabuntur (J. B. PIERRON, o. c., 154).

illius, qui non est tantum « pastor pastorum », sed et pastor fidelium et per eos quoque curam animarum exercet et exercebit [14]. Haec evolutio potestatis papalis, quae simul est theologica ac disciplinaris, direxit novum ordinem in conciliis et bullis consistorialibus, quae privilegia vocabantur, ob ambiguitatem termini tamen melius nomine legum specialium indicantur [15]. Sicut ecclesiae regionales hae corporationes vel societates habuerunt suos legatos papales, quos cardinales protectores vocabant, uti mediatores ordinarios inter se ac

---

[14] In capite I° propositi Catholicorum pauperum legitur: « ... fidem Catholicam per omnia et in omnibus integram et inviolatam corde credere et ore proposuimus confiteri, sub magisterio et regimine Romani pontificis permanendo ». Secundum J. B. PIERRON (o. c., 174 sq.) his verbis Innocentius III fit superior societatis in sensu stricto, quae conditio usque ad 1212 perdurabit. Hic inde Romanus Pontifex remanebit, ut ita dicam, eius Suprasuperior, sicut et accidet pro ceteris novis ordinibus mendicantibus. Supra eum quem elegerunt ex propriis membris ut superiorem, Romanum Pontificem habebunt ut primum cuius voluntati obsequi tenentur vi voti oboedientiae.

[15] Antiqua privilegia ordinum, ad quae referimus, erant apostolicae ordinationes magis constitutivae quam ornantes. Quae iam amplius inter religiosos non communicantur quia, olim in bullis particularibus vagantes, nunc in legislatione Codicis omnibus prosunt ut vitam canonicam religiosorum constituentes. Privilegia ornantia non communicantur, quia ornantia sunt (cfr. can. 613 sqq.). Pro maiore unione inter Benedictinorum congregationes edita est « Lex propria » (*AAS.*, 34 (1952), 520); pro monialium accomodatiori forma vivendi « Statuta generalia » (*AAS.*, 33 (1951), 15 sqq.).

De aspectu theologico non agemus; quantum ad hoc lectorem remittimus ad studium J. RATZINGER: *Der Einflusz des Bettelordenstreites auf die Entwicklung dre Lehre vom päpstlichen Universalprimat, unter besonderer Berücksichtigung des h. Bonaventura. Theologie in Geschichte und Gegenwart*, München, 1957, 697-724.

Sanctam Sedem[16]. Hae corporationes, quae communi nomine Regulares vocabantur, missionem canonicam papalem sibi ablatam nec Concilio Tridentino nec Codice Iuris Canonici invenerunt.

Septem saeculis elapsis nemo sana mente affirmare potest nos eodem statu vivere ac tempore quo Alexander III precario equilibrio dignitatem auctoritatemque Apostolicae Sedis continere studuit. Interim tamen hae corporationes, quae communi nomine regulares vocabantur, paulatim minus exclusive sub immediata auctoritate universali Ecclesiae ordinabantur, sed et in ecclesiis particularibus cum clero dioecesano coordinabantur, quo aptius ubique cum clero saeculari collaborent.

Structura Ecclesiae hierarchice ex duplici elemento constat, nempe ex iurisdictione universali Summi Pontificis ut successoris S. Petri, collegii apostolorum et totius visibilis Ecclesiae capitis, ex una parte; et ex iurisdictione locali dioecesana, ex alia parte, qua gaudent ii singulatim qui participant collegium apostolorum et huic collegio connumerantur ut successores eorum qui primo sub S. Petro hoc collegium formaverunt. Fidelium singulorum salus curatur influxu subordinato coordinatoque utriusque lineae — ut ita dicam — pastorum: linea verticali, qua S. Petrus pertingit omnes et singulos; linea transversali, qua singuli episcopi, iuxta se positi, secundum limites suarum ecclesiarum propriarum, cumulative omnes et sin-

---

16 Constat hodie Cardinalem Protectorem interiori disciplinae iam non se immiscere posse (can. 499, par. 2); quod utique fecit tempore ortus mendicantium in bonum et progressum eorum status in Ecclesia.

gulos attingunt. *Regulares* non tantum « non obstat », sed et facultate a particulari ecclesia indigent, ne oppositio inter duas has lineas foveatur, sed ut sibi invicem suppleant et pax regnet, quae est bona dispositio singularium partium loco suo. Quod interdum dioecesana facultas praedicandi missionem papalem quoque activat (graece: *katalueín*), quamquam ad certos limites simul coarctans, non dat rationem, qua momentum et importantia vel et praesentia huius missionis negetur aut vilipendatur, cum regulares hac missione ex parte Summi Pontificis praediti suo modo unitatem Ecclesiae imprimis repraesentent et curent. Cum constabit, quod iam Pater plebis universalis exemptis religiosis hoc honorabile officium committere non vult, et hoc cessare apparebit, tunc, traditioni nostrae fideles, etiam in his obedientes inveniemur [17].

Ita hodie clerus regularis non-dioecesanus quasi cumulativa missione ad curam animarum ordinatur. *Quasi-cumulative,* quia ambae lineae non pro se iuxtaponuntur sed se invicem complent, sicut S. Petrus est collegii apostolorum et membrum et caput [18]. Dicimus *non-dioecesanus,* quia episcopi

---

[17] De hoc apud singulos mendicantium ordines, pauperibus Catholicis exclusis, qui ordo circa medium saec. XIII partim praedicatoribus, partim eremitis S. Augustini se uniendo dissolvit, disseruimus in Hebdomada, studiis Spiritualitatis Augustinianae dedicata et Romae habita 1956, cuius Acta proxime publici iuris fient.

[18] H. HANSTEIN, *Ordensrecht.* Paderborn, 1953, 236, nimia simplicitate affirmat eos gaudere missione papali, nullo verbo mentionem faciens de influxu licentiae et probationis ordinariorum. Eum sequimur tamen, cum ibidem dicit: « Tatsächlich besteht auch zwischen dieser (= nichtexemten) Befreiung klerikaler Genossen-

regulares et parochi regulares et tales speciale mandatum, unusquisque pro loco suo, obtinent, quo ceteri regulares, qui non habent officium locale ut ita dicam, non gaudent, sicut legi potest in Instructione S. C. Consistorialis anni 1917, de qua supra egimus.

Ut nunc directe respondeamus iis, qui affirmant presbyteros religionum clericalium et praesertim regulares facultatem praedicandi solummodo accipere ab Episcopo loci. *Primo* dicimus eos antiquiora documenta et antiquas dispositiones trahere ad novissima, quod est contra sanam interpretationem historicam et etiam iuridicam ut ex can. 6 omnibus patebit. De cetero ex ipsa Instructionis compositione manuducimur ad interpretationem non ambiguam. In medium enim verba feruntur S. Tridentinae Synodi, quae « anteriores praescriptiones innovant ac perstringunt »; ... « Nullus autem saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat ». « Quod plane, prosequitur Instructio, in novo ecclesiastico Codice confirmatur can. 1327, 1328 et 1337 ». Igitur praescribitur: « in reliquis casibus ... necesse est ut facultas obtineatur ab Ordinario dioecesis ». Legitime concludimus hanc facultatem habere severiorem formam pristina: « non contradicente Episcopo » et veram etsi non unicam missionem constituere [19]. Si, ut supponimus, non amplius haec fa-

---

schaften und der eigentlichen Exemption nach dem geltenden Recht kein allzu groszer Unterschied mehr ».

19 *Generalis servorum,* de die 21. Maii 1546 effatum est: « Nemo negare potest, quin papa sit universi orbis episcopus,

cultas requireretur, regulares praedicare possent sola vi missionis papalis, quae eos pertingeret cum a Superioribus ad officium concionatoris mitterentur, quomodo et nunc pro solis subditis verbum Dei praedicare possunt.

Secundo afferimus tenorem Codicis Iuris Canonici. Ibi et pro ordinatione et pro facultate audiendi confessiones Ordinarii locorum quodammodo ligantur, ut concedant potestatem exemptis religionibus. Non possunt ad libitum vel pro indigentia dioecesis legitime negare potestatem sacrificandi plebem, sicut pro dioecesano clero iis etiam licet an religiosis paroeciam commendent necne [20].

Tertio tandem et ultimo: verba Benedicti XV certo non sibi sed episcopis directa sunt, quibus intendit de medio tollere tantam perversitatem: *ministerium verbi* suscipere possit cuicumque libuerit. Qua de causa allata doctrina S. Tridentinae Synodi: « praedicationis munus *Episcoporum praecipuum est* » praescribit: « Nemo igitur in dioecesibus vestris, nisi vocatus probatusque a vo-

---

propterea, qua ratione episcopus in sua diocesi potest licentiam praedicandi concedere alicui, ita etiam, immo fortius, pontifex potest » (Diariorum pars I, Acta Conc. Trid., 63).

Nesciebat tamen post 4 saecula ita difficultatem solvi posse, ut Romanus pontifex reapse daret missionem regularibus, executione tamen permanente apud autoritatem atque jurisdictionem episcopi diocesani, ita ut etiam ab eo missi esse praedicatores revera dici possunt. Ita in synthesi altiori distinguendo inter ius ipsum et eius exercitium opposita iura servantur.

[20] Pro ordinatione videsis: can. 966; pro facultate audiendi confessiones: inde a can. 873 par. 2 usque ad can. 875; pro facultate concionandi: can. 1338 sq. De cetero hoc fusius explicavit A. GUTIERREZ POZA in his periodicis vol. 22 (1941) et 23 (1942), ad quod commmentarium remittimus lectorem.

bis, iam nunc sacras conciones habeat ». Quae verba ut putamus implicite a Papa Pio XII f. r. in allocutione *Annus sacer* ita interpretata sunt: « Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive regularis, sive religiosus est, ita munia debet exercere sua, ut Episcopo auxiliator adsit et subsit ... Sed et Religiosorum Ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt. Quod etiamsi praetermittamus, in disceptationibus per postrema decennia super exemptione habitis haud satis fortasse animadversum est religiosos exemptos, etiam ex praescripto iuris canonici semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori, subici, cui oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae. Iamvero Summus Pontifex, ut in universam Ecclesiam, ita in unamquamque dioecesim et in singulos christifideles ordinariam et immediatam iurisdictionem habet. Ergo constat primariae a Deo latae legi, qua clerici et laici Episcopi regimini subesse debent, etiam ad religiosos exemptos quod attinet satis superque obtemperatum esse ac denique Christi voluntati et statuto utriusque militiae clerum pari respondere obsequio » [21].

Dr. R. Kuiters, O.E.S.A.

---

21 *AAS.*, 43 (1951), 28 sq. Cfr. etiam exhortationem Romani Pontificis Pii XII. diei 11. febr. 1958 (*AAS.*, 50 (1958), 153 sqq.).

QUAESTIONES GENERALES IURIS CANONICI

Paginis quae hic sequuntur recensionem facimus voluminis cui titulus est:

« Investigación y elaboración del derecho canónico. Trabajos de la V Semana de Derecho Canónico, celebrada por la Pontificia Universidad Eclesiástica de Salamanca, en colaboración con el Instituto de S. Raimundo de Peñafort ». Juan Flores editor. Barcelona, 1956.

Istud volumen amplectitur labores professorum qui in V Hebdomada iuris canonici in Hispania partem habuerunt; quae quidem studiorum Hebdomada internationalis evasit, pars cum fuerit congressus generalis similiter internationalis occasione commemorationis septimo centenariae Universitatis salmanticensis.

Agitur de summa meritissimorum laborum qui, sub titulo supra proposito, certa unitate etiam gaudentes optimam ad studium iuris canonici introductionem constituunt. Ob momentum igitur eorum utile iudicamus de singulis in sequentibus breviter dicere.

Intra generale thema sectiones distinguuntur sequentes:

Character ordinamenti canonici
Investigatio historica
Interpretatio legis
Iurisprudentia ut fons integrativus iuris

Correctio legis canonicae (cessatio leg.)
Constructio systematica
Ars in producendis legibus canonicis.

CHARACTER ORDINAMENTI CANONICI

Ex 16 studiis, quibus totum volumen exhauritur, in 1ª sectione versantur quinque quorum primum debetur P. SALAVERRI (Comillis) sub titulo *El derecho en el misterio de la Iglesia.*

Posito problemate de conceptione seu de mysterio Ecclesiae, recensentur a P. Salaverri in primis interpretationes haereticae, maxime protestantes a Luthero ad Barth et Brunner, qui omne visibile atque iuridicum elementum, intermediarium quidem inter Christum et membra Ecclesiae, negant; quandoquidem ipsi iudicant omne ius essentiae ipsi Ecclesiae contradicere. Exponitur postea doctrina catholica, iuxta quam mysterium Ecclesiae consistit in unione perfecta, sine confusione, duorum elementorum, quorum alterum est divinum, invisibile; hierarchicum visibile, iuridicum, alterum.

Intimius considerans deinde theologicum mysterii sensum, nixus semper documentis pontificiis ideisque thomisticis, describit auctor fines iuris in Ecclesia: tam ultimum et mediatum i. e. vivificationem supernaturalem membrorum, quam immediatum, videlicet, ordinationem diversarum visibilium pariter functionum eorundem membrorum, et dispositionem mediorum visibilium ad finem remotum seu ultimum illorum consequendum.

Amplitudo quae in hoc labore elemento iuridico conceditur haud magna est; ideae tamen vera scatent luce ob relationem in qua cum mysterio Ecclesiae ponuntur.

* * *

Sequuntur duo studia sub eodem fere titulo. 1um: « *Las caracteristicas generales del ordenamiento canónico* », auctore D. Lamberto de Echeverria, Salmanticae; 2um: *Caratteri communi e differenziali nel diritto canonico,* auctore D. G. Forchielli (Bononiae). Primus rem tractat ut canonista; secundus autem, qui ex campo civilistico ipsam eandem rem considerat: « io esporrò, ait, il pensiero non del canonista, ma del civilista-canonista che abbia una particolare provenienza, quella formatasi a scuole civilistiche, che veda quindi il problema da occhi civilistici » (p. 77).

Prof. De Echeverria asserit ante omnia peculiaritatem iuris canonici explicari eo nimirum quod agatur de ordinamento legali fine, qui campum iuridicum transcendit, praedito. Exinde etiam intelligitur eius haud semper solum apparens imperfectio technica.

Percurrit deinde singilatim peculiaritates seu proprietates illas ratione auctoris, destinatarii ac naturae normarum. Ratione auctoris ut proprium iuris canonici subindicat: quod ipsum influxu criteriorum moralium pervasum sit, cum procedat ex potestate cui « to » iuridicum limitem non constituit, sed illa pergit ultra, hominem in sua totalitate pertingens; quod in campo canonico legislator non

adeo vinculatus respectu destinatarii sit ut in campo civili, ob eius immediatam divinam originem. Tandem peculiaritatem in ius canonicum inducit etiam ipsa indivisio potestatum Ecclesiae. Ratione destinatarii distinguit in ordinamento canonico: elementa haud stricte canonica, veluti commendationes, exhortationes, etc., nimirum ob eius elevationem moralem; autoapplicationem poenarum; harum characterem spiritualem; sobrietatem legislationis, et quandam indeterminationem eiusdem; existentiam iuris particularis ob Ecclesiae dispersionem per universum mundum; paradoxum quod implicat coexistentiam intensae omnino centralis potestatis cum descentralizatione magna, ignota quidem ordinamentis civilibus; extraordinariam possibilitatem dispensationum, etc. Demum, ratione ipsarum normarum notat earundem sacrum et doctrinalem characterem, finalitatem immutabilem, absentiam coactivitatis fysicae, disconformitatem quandam cum technica civili.

Cum laborem absolvit notare non desinit efficacitatem, fidem in subditis, stabilitatem, plasticitatem et amorem traditionis pertinere etiam ut aliquid peculiare et proprium ad ius canonicum.

Optimum revera studium fere in omnibus suis partibus constituit labor cl.mi D. de Echeverria. Non dicimus simpliciter in omnibus, venia auctoris: nam duae quaestionis magni momenti in theoria generali ordinamenti canonici, spectantes, scilicet, distinctionem vel minus iuris nostri in publicum et privatum, ac relationem eiusdem cum morali haud satis evolutae videntur, quamvis eae certe tangantur. Dominus Abrisqueta in suo studio,

infra recensendo, supplebit hanc, quae posset heic esse, parva lacuna.

Professor Forchielli, de eodem themate agens, ut diximus, propositum statim pandit, se, non intendere quaestiones quae in hac re latent, solvere, sed tantum statuere: relationem, nempe, moralem inter et ius canonicum; huius substantiam, formam ac iuridicitatem; distinctionem vel minus inter ius publicum et privatum, etc. Ac propositum suum tenuit. Quamobrem scriptum Prof. Forchielli momento revera non caret ob problemata quae suscitat, puncta studii quae suggerit, immo, insinuatas solutiones, quantumque non plenas ac decisas, quas profert.

Quod spectat elementa quaedam a praecl.mo Forchielli inducta ad explicanda discrimina ordinamentum canonicum inter et statalem, haud facile nobis cum eo consentire fas est. Per modum exempli, subindicat ipse radicem discriminis, inter ambo ordinamento in distincta significatione distinctoque sensu stare, quos verba et figurae iuridicae in uno atque in alio prae se ferunt. Immo tenet loquendum esse potius quam de peculiaritatibus iuris canonici respectu iuris civilis, de diversitate ordinamentorum, ob diversitatem quidem tam finis quam obiecti eorundem.

Quamquam id omne haud sane negare possumus, credimus tamen modum istum rem considerandi confusionem posse gignere, solutionemque proinde aptam non inducere. Eo, enim, quod materia iuris variet non sequitur quod notiones iuridicae variare debeant; nam universalis notio verificari in obiectis diversis valet. Ut exemplo aliquo

ab ipso Prof. Forchielli proposito utamur, nullo modo credimus problema *iuris publici et privati* in Ecclesia solvendum esse inducta nimirum notione diversa *personae* in Ecclesia atque in Statu. Profecto, relationes iuridico-matrimoniales partium, sive inter se sive cum Societate, dicendae non sunt adeo diversae, cum matrimonium est sacramentum atque cum tale non est, ut in hoc ultimo casu relationes privatae non eodem omnino modo atque in primo distinguantur.

* * *

Sub titulo: *Lo jurídico y lo moral en la técnica legislativa y construcción sistemática canónicas* edisserit D. Salazar Abrisqueta.

Praemittit auctor defectum technicae in iure canonico deberi facto quod in isto nimis elemento morali indultum fuerit, indeque nimis nos a civili campo et a civilistarum logica distraxisse et iuris canonici peculiaritates ob illam supradictam unionem cum morali necessario induxisse. Nunc vero, D. Abrisqueta recte tenet quod, cum in ordine iuridico civili duae sint res: « to » iuridicum et « to » civile, debemus nos « to » civile certe relinquere, sed possumus legitime omnino « to » iuridicum assumere; ac quod moralem attinet, nos intra certos limites teneri debere.

Rem inde plene evolvens, examinat in primis positionem eorum qui relationem intimam iuris canonici cum morali exigunt eo quod finis iuris canonici « salus animarum » sit. Iam vero in hac re, coincidens omnino cum iis quae nos etiam scrip-

simus a. 1947 [1], cl.mus. Abrisqueta tenet finem immediatum iuris canonici non esse « salus animarum », cum haec sit aliquid vere ulterius et extrinsecum iuri [2]. « Salus animarum » est finis ethicus, ultimus, communis triplici potestati Ecclesiae; non est, idcirco, finis immediatus, specificus potestatis regiminis, quo etiam ipsa ad finem illum ethicum, ultimum, communem dirigitur [3]. Qui considerat « salus animarum » ut finem specificum iuris canonici, contra naturam ipsam istius agit. Profecto, « salus animarum » est aliquid vere personale, nullo modo sociale, utpote quod morale cum sit, relationem ad alios non dicit, sed directe ad bonum personae. Hoc ipsum exprimit D. Abrisqueta cum asserit finem iuris in Ecclesia esse tueri « suum » in « salus animarum »; quod sic explicat: « ut alia membra aliis praestent quod praestare debent ex iustitia in ordine ad « salus animarum » [4].

Ius eodem modo in societate ecclesiastica atque in societate civili respicit directe et immediate relationes sociales, non relationem personalem ad Deum, qualis est « salus animarum ». D. Abrisqueta ita res distinguit: dare unicuique suum est finis iuris. Iam, si id efficitur in ordine ad consequendam perfectionem humanam naturalem, obtinetur finis iuris civilis; si vero, in ordine ad consequen-

---

[1] *Fin del derecho de la Iglesia*, in *Revista española de derecho canónico*, 2 (1947) 283.

[2] « La " salus animarum " es un fin trascendente, término para el cual el fin jurídico es medio ». O. c. p. 286.

[3] « No es lo mismo hablar del fin de la Iglesia que hablar del fin del derecho en la Iglesia » (Ib.).

[4] « es decir que unos miembros den a otros lo que deben dar en justicia para la « salus animarum » (p. 106).

dam perfectionem humanam supernaturalem, obtinetur finis iuris canonici.

Ex dictis sequitur bonum commune sensu technico « salutem animarum » seu possessionem Dei esse non posse; siquidem illud intrinsecum, immanens Ecclesiae-societati esse debet, obtinendum proinde ab ipsa et possidendum; salus vero animarum non ita est, ut declaratum manet, sed aliquid obtinendum et possidendum a persona privata (Abrisqueta, p. 107).

Attamen, affirmat ipse etiam bonum commune societatis tam ecclesiasticae quam civilis consistere in summa bonorum necessariorum seu utilium, a societate possessorum, quibus homo ad perfectionem moralem consequendam iuvatur (p. 107). Mallemus nos vocare illa bona directe non « bonum commune » sed « bona communia ». Bonum commune in Ecclesia aliud videtur esse quam ordinationem aptam functionum et activitatem membrorum, atque mediorum omnium sanctificationis. Quo aptior talis ordinatio sit, bonum commune erit eo ipso maius et potius. Sed nec ab hoc videtur D. Abrisqueta discedere, cum deinde scribat: « bonum commune » quod ius respicit, est ordo socialis iustus »[5]; aliis verbis, quod unicuique membrorum Ecclesiae media supernaturalia et supernaturalizata tribuantur quae sibi competunt (p. 109). Sic distinctio camporum penitus elucet: finis iuris in eo est quod unusquisque « suum » obtineat. Hoc pacto poterit etiam quisque perfectionem suam moralem nancisci. Sane, huc nequit ius pervenire;

5 « El bien común que pretende el derecho es el orden social justo » (p. 108).

propterea dici non poterit finem suum moralem perfectionem personae, i. e. « salutem animarum » esse. Conclusio ultima hinc erit: quod « salus animarum » penetrationem elementorum moralium in ius canonicum nequaquam postulat.

Posthac tangit auctor quaestionem de potestate iuridica Ecclesiae in actus internos, quam potestatem merito reiicit. Hoc haud quidem secumfert Ecclesiam potestatem supra illos actus possidere nullam; possidet certe eam, sed moralem et vicariam, non quidem iuridicam et propriam.

Distinguit deinde campos iuris et moralis in administratione sacramentorum, impositione poenarum, etc. Tandem, relationem in genere moralem inter et ius canonicum in eo ponit quod istud ad idealem iustitiae accedere valde conetur; quod sane videre est in momento et frequentia dispensationum a lege, in modo aestimandi probationes in processu, etc. Hoc « accedere » semper magis ad praefatum idealem iustitiae obiectivae nullatenus secumfert aut significat confusionem camporum seu penerationem moralem in ius.

* * *

Claudit hanc primam sectionem laborum D. Fernández del Corral (Madrid. Real Academia de Jurisprudencia) studio: *El Derecho canónico y las modernas tendencias hacia la unidad legislativa.*

Dolendum, dicit auctor, quod in actuali conamine pro unificatione iuris, prout videre est ex pluralitate laborum, ephemeridum, et institu-

tionum in hunc finem conspirantium, praetermittatur ius canonicum. Attentionem tunc reclamat ad unionem, quae ante hoc tempus inde iam a saec. IV p. C. inter ius canonicum et civile constanter exstitit. Et absolvit demum studium suum exoptans ut ad desideratam unificationem iuris perficiendam elementa etiam a iure canonico, potissimum in materiis communibus, quales sunt actus iuridici, processus, etc. desumantur.

Investigatio historica

Ponentes in hac secunda sectione sunt Prof. Le Bras (Paris Sorbona) studio: *Investigation historique en droit canon* et Maldonado (Madrid) studio: *La técnica de la investigación histórica del derecho canónico.*

Prof. Le Bras demonstrat momentum quod tenet historia iuris canonici in ordine ad accuratam intimamque cognitionem tam Codicis nostri vigentis, qui multis modis multisque in locis ad ius praecedens remittit; quam ipsius Ecclesiae: eius structurae institutionumque sub aspectibus et modalitatibus multiplicibus: vita religiosa, liturgia, etc.; quam etiam universalis civilizationis, in quam influxus iuris canonici plures et magni decursu saeculorum non defuerunt. Profecto, quis, ius canonicum ignorans intelligere penitus poterit characterem familiae, characterem similiter et naturam corporationum medioevalium, relationes inter Ecclesiam et Statum, figuram ipsam Status cum suis relationibus inter subditos et principem, consuetudinibus, technica politica, etc.?

Magna cum utilitate studium istud sintheticum, luce perfusum, legitur.

* * *

Prof. Maldonado suo amplo labore describit egregie viam investigationis historicae in campo iuris canonici. Novas ideas certe non praebet, sinthesim vero accuratam principiorum omnium ad perfectam investigationem historicam iuris conferentium offert. Iuvat tanti meriti causa aliquantisper latius heic immorari.

Ante omnia, obiectum investigationis historicae iuris canonici dicit: quaerere elementa dispersa iuris canonici praeteriti; et hoc inde, reconstruere cum suis principiis suoque spiritu.

Agit deinde cl.mus Maldonado de investigatore ipso scientifico, quem historiae peritum simul et canonistam vult; cum vero officium illius describit, insistit in eo quod investigator ad extensionem historicam iuris canonici advertere debet; quae quidem extensio diversa diversis in temporibus fuit: initio, restricta, cum Status etiam disciplinam in materiis ecclesiasticis ordinabat; ampla, e contra, deinde, ita ut Ecclesia tunc et materiis quibusdam civilibus ordinandis consuleret. Cultor historiae iuris canonici cognoscere debet, praeterquam normas ipsas in toto suo harmonico complexu, et quidem quasi in motu consideratas, seu vitae ipsi sociali ordinandae applicatas, etiam theoriam iuridicam, constructiones technicas, conceptus, expedientes iuridicos ab scientia iuris inductos relationem inter ius canonicum et civilem

decursu temporum praelucentem, influxus, receptionem mutuam, etc. Tandem nec ignorare potest plura facta pluraque adiuncta historica, quae, quamvis nihil directe iuridicum contineant, in vitam tamen iuris influxum habuerunt.

Fontes cognoscendi illico tangens, notionem accuratam earum sive in genere, sive in particulari campo canonico, praebet; classificationes plures earum — non omissa et sua propria —, describit; tandem, laborem istud constructioni ipsi historiae praevium supra fontibus, spectantem scilicet: inventionem, transmissionem, determinationem, interpretationem dictarum fontium distinctionemque elementorum iuridicorum ab illis allatorum iuste ponderat.

Denique, ad constructionem ipsam historicam quod attinet, distinguit in primis, et gressus faciendos et criteria tenenda; recenset qualitates quibus ornatus esse debet qui huiusmodi studiis incumbat; et ultimo, de duobus methodis constructionis historicae disserit, substantiva una, per institutiones procedente, chronologica altera, periodos temporis sequente.

Gratulamur auctori ob istud suum laborem adeo completum, ut eo meliorem ad eos, qui huiusmodi studia aggrediuntur, sinthetice instituendos nullum noscamus.

Interpretatio legis

In campo exegeticae investigationis versantur labores Professorum: Cabreros de Anta (Sa-

lamanca), MICHIELS (Herentals), BARBERA (Salamanca) et BENDER (Roma. Angelicum).

P. Cabreros thema evolvit: *Investigación subjetiva y objetiva de la ley.*

Eius problema ad hoc reducitur, ut obiectum operationis interpretativae determinat; aliis verbis: ut contentum legis in abstracto definiat. Problema quidem vere difficile; cui, idcirco, solutiones diversae immo, disparatae, datae sunt.

Ante omnia collocat in medio duas illas generales in hac re directiones: primam scilicet, quae pro obiecto interpretationis, seu pro substantia legis habet voluntatem legislatoris; et alteram, quae voluntatem potius legis ut tale obiectum considerat. Recenset inde, auctores qui unam et alteram directionem in campo civili propugnant. Atque vindicat, tandem, primam unicam veram: quae, de reliquo, in campo canonico ut plurimum defenditur. Argumentatio P. Cabreros pro veritate subiectivae interpretationis, vindicanda, haud nova certe est; urgetur tamen ab eo peculiari vi et diafanitate: Si ad hoc, ait ipse, ut lex aliqua talis dicatur, seu obligationem gignat, opus est ut legislator imponere velit quod ipsa continet, obvium videtur quod, si in eadem aliquid admittatur diversum ab eo quod legislator vult, id extra legem vaget. Ergo hoc unum interest interpretis legis: mentem legislatoris scire.

Quamobrem invariabilitatem legis ut consequentiam necessariam interpretationis subiectivae propugnat, ac subindicat solutionem difficultatis illico obviam venientis, scilicet: quomodo componatur praefata invariabilitas objecti legis cum

transformatione seu evolutione continua iuris, necessaria quidem ad hoc ut ius verum et iustum successivis distinctisque temporibus esse possit. Solutio est: consulat in casu, — dum legislator legem non mutet, — *integratio* iuris, quae functionem vere distinctam ab interpretatione constituit.

Ob tam perlucidum studium auctorem non possumus non gratulari. Iuvat tamen Pirhing in aliquo vindicare. P. Cabreros scribit dicta Pirhing accipi non posse, cum hic affirmat interpretationem extensivam, quae fit ultra mentem legislatoris, et quam Pirhing vocat interpretationem extensivam, impossibilem esse. Certum est interpretationem hanc, ultra mentem legislatoris, quae potius diceretur cum P. Cabreros integratio iuris, sive iudici sive interpreti privato non competere sine praevia norma generali id illis concedenti. Attamen praexistente tali norma, sine dubio competit. Nunc vero, Pirhing nequit hoc idem non tenere. Negat, igitur, tantummodo, ut videtur, possibilitatem praefatae extensivae interpretationis, ex pura voluntate privati interpretis vel iudicis.

* * *

Labor P. Michiels ut titulum habet: *De interpretatione declarativa legis in iure canonico.*

Doctrinam communem canonisticam tenens, ac proinde etiam cum P. Cabreros, iuxta nuperrime recensita, consentiens, P. Michiels ut inconcussum praemittit interpretationem stricte talem, quae est declarativa dumtaxat, consistere in pervestigando sensu quem legislator verbis legis dare

voluit, cum voluntas legislatoris sit lex. Verum en nunc problema, in quo versatur totum conamen auctoris: qualis nimirum sit sensus a legislatore in verbis legis immissus.

Plures tenent istum esse sensum proprium, sive iuridicum sive usu comprobatum; igitur interpretari legem reducitur ad sensum proprium verborum quaerendum. P. Michiels non consentit cum illis; sed tenet quod, etiamsi ut plurimum ita sit, scilicet, quod legislator verba sensu proprio adhibuerit, potuit tamen ea sensu proprio non adhibuisse. Ergo supposito quod voluntas legislatoris sit lex, vera definitio interpretationis nequit in quaerendo sensu proprio verborum necessario verti, sed in quaerendo sensu a legislatore volito, quicumque ille sit.

Argumentatio cl.mi auctoris vim sine dubio habet: Attamen in iure canonico id habemus, quod legislator dixerit legem intelligi debere secundum sensum proprium verborum (c. 18), semper ac ille pateat. Videtur igitur legislator isto canone in antecessu affirmare se verbis legis sensu proprio usum fuisse, aut quomodocumque, se velle, ut talis sensus praevaleat dummodo hic dignoscatur. Proinde, iste sensus si constat, continet uno vel alio modo, generali, scilicet, vel particulari, voluntatem legislatoris. Sed diceres legem iniustam aliquando evadere iuxta sensum proprium verborum sumptam. Huic respondi poterit, legem in casu ab intrinseco cessare. His suppositis, axiomata a P. Michiels adducta, secundum quae voluntas legis supra verba praevalere debent, etiam heic observantur, cum voluntas legislatoris nequaquam relinquatur, ut

dictum manet; nam legislator sibi ipsi sua voluntate limitem posuit, ut facilem interpretationem redderet.

Revera, si notus sensus proprius verborum ad interpretationem legis non sufficeret, seu voluntatem legis nobis non aperiret, numquam primo hoc criterio contenti esse possemus, sed in omni casu ad alia criteria recurrere deberemus; nunc vero, ei obstare videtur sensus obvius canonis 18.

Hanc proinde difficultatem non videmus solutam a cl.mo P. Michiels, quamvis argumentatio eius vi certa carere non videatur, attenta potissimum secunda parte c. 18. « ... quae si dubia et obscura ... »; heic enim sensus proprius ignoratur ex hypothesi, ac nihilominus lex manet, et in sensu etiam improprio verborum consistere potest.

* * *

D. Barberena thema evolvit: *La interpretación extensiva y la restrictiva.*

Distinguit peril. D. Barberena duplicem sphaeram in lege, externam nempe et internam. Transiit deinde ad notionem praebendam interpretationis latae et strictae, extensivae et restrictivae; et refert statim duas primas ad secundam ex illis sphaeris, seu ad internam, in qua una (lata) et alia (stricta) operantur secundum quod verba sensum plenum vel minus plenum, semper tamen intra voluntatem legislatoris in lege habeant. Quid autem quoad duas alteras? Ubinam collocandae? In exteriori zona primae sphaerae, an potius in secunda seu externa sphaera? De hac postrema quaestio-

ne seu de loco dando interpretationibus extensivae et restrictivae agit fuse auctor.

Exponit in primis hypothesim illam iuxta quam, inde a doctore eximio, extensio legis ob « identitatem rationis » erit adhuc intra mentem legislatoris, seu in sphaera interna legis, quantumvis in parte exteriori eiusdem; immo, nequit non ita esse, nisi velimus legislatorem iniquum facere. Sermo est in casu de extensione logica. Quaerit deinde, secundam attingens hypothesim, an, cum lex extenditur ad casus mere analogos, de pura extensione legis adhuc agatur, quamvis iam in sphaera externa huius versemur, vel non. Communis responsio est negativa; nam extensio legis interpretatio videtur adhuc eiusdem; sumus ergo intra legem; at in casu analogiae non amplius iam intra legem versamur. Ipse codex rem confirmat, cum interpretationem separat a suppletione, per analogiam facta.

Sed cl.mus Barberena hac communi doctrina omnino contentus non est; animadvertit enim logicam qua in prima hypothesi extensio fit, haud multum distare ab ea quae in secunda operatur: utraque, scilicet, ex « ratione legis » procedit. Quamobrem, quaerit ipse: eritne verum quod voluntas legis deest omnino in applicatione analogica eiusdem? Si ita foret, iudex et Superior functionem legislatoris usurparent, essentque stricti conditores iuris. Hinc ipse inclinat in hoc quod sermo etiam hic esse quit de extensione legis: de extensione quidem analogica, quia sumus intra voluntatem, saltem generalem, legislatoris vi c. 20.

Magni omnino facimus modum istum analogiam intelligendi a D. Barberena propositum. Pro-

fecto, factum recurrendi in utraque ex supramentionatis hypothesibus ad « rationem legis » significat legem ipsam tam in una quam in alia certo munere fungi. Nec etiam negandum quod in applicatione analogica legis, exstante c. 20, voluntas expressa, etsi generalis, legislatoris non deest. Verum, alia ex parte, certum videtur legislatorem, vi nimirum c. 20, facere ut norma quaedam, quae de se ad certum vel certos casus non valebat, quia eos legislator in tali lege non includerat, revera valeat. Aliis verbis, videmur nos in creatione — ope legislatoris — potius quam in interpretatione iuris versari. Videtur, sane idem tunc accidere atque cum recursus ad deductiones ex principiis generalibus iuris, ad stylum Curiae, ad sententias communes et constantes doctorum praecipitur. Nec ista regulare casus quosdam possent, nisi converterentur a legislatore in legem. Versemur etiam hic in creatione iuris.

Quae diximus valeant pro iure nostro canonico. Aliter diceremus si de iure classico romano quaestio statueretur. In hoc extensio analogica plenum locum habebat; immo, notissima « interpretatio prudentum » ex analogia potissimum procedebat. Hoc significat satis fuisse tunc ad applicandas normas iuridicas « similem rationem »; ea nimirum de causa quod interpretatio apud Romanos characterem haberet non subiectivum sed obiectivum.

* * *

Patris Bender est studium: *Logica et legis interpres.*

Praeclarus P. Bender asserit, quasi per modum introductionis, regulas generales ratiocinandi competere etiam operationi interpretativae iuris; supponitur enim legislator voluntatem suam iuxta modum communem cogitandi manifestasse.

Immoratur deinde ample in distinguendis logicae abusibus in campo iuridico; insistens potissimum in declarando abusum logicarum regularum haud nimirum dari: ex eo quod principia immutabilia in iure admittantur, cum non omne ius positivum sit; nec ex eo quod sic dicta « brocharda » iuridica acceptentur, sapientiae iuridicae plena cum sint, dummodo exceptiones etiam in ipsis opportune agnoscantur; nec ex eo quod aequitati aliquando non attendatur, praevalente ibidem norma generali, si exinde nulla iniuria sequitur, sed solum quod pro tali casu norma eiusmodi generalis haud omnino perfecta evadat, aptiorque foret nova.

Revera placebit omni legenti studium istud vere lucidum atque perspicuum cl.mi P. Bender.

Iurisprudentia ut fons integrativus iuris. Correctio legis canonicae.

De his capitibus agunt duo praeclari Profs. Della Rocca (Roma) studio: *La Giurisprudenza nel diritto canonico,* et Mons. Lefebre, *studio*: *De correctoria iuris investigatione.*

Primus laborem suum ordinat ad probandum iurisprudentiam certum fontem iuris constituere; non quidem ad modum quo ipsa fons est in iure an-

glico, scilicet, eodem pacto ac lex, sed intra limites c. 20, i. e., in lacunis tantum iuris, sicut stylus et praxis Curiae.

Intra tales limites, i. e., considerata iurisprudentiae vi ex auctoritate supremi legislatoris procedenti, ita sane ut eo pacto unicus semper legislator universalis tandem aliquando in Ecclesia maneat, nulla difficultas esse potest contra thesim Prof. Della Rocca.

Secundus auctor exponit accurate totam quaestionem de cessatione legis tam ab extrinseco quam ab intrinseco, non omissis certe punctis disputatis aut in quibus difficultates non absunt. In his omnibus intervenit cl.mus Lefebvre accutas solidasque solutiones subiungens.

Constructio systematica.

Primum studium, sub titulo: *La construcción sistemática en general,* debetur in hac sectione Prof. Iglesias (Madrid); secundum, sub titulo: *La construcción sistemática en el derecho canónico,* Mons. Pérez Mier.

Prof. Iglesias iuste et merito in eo insistit quod ius ab ipsa vita sociali, naturali aequitatis sede, scindi non debet; ibi proinde ab interprete sedulo quaerendum est. Age nunc, systematica constructio, quae, ut ipse accurate refert, ultra modum aestimatur ab historicismo renascentistico, maxime cum liberi examinis influxum patitur, fitque vere conceptualistica ope germanicae Pandectisticae, periculo obnoxia est ius a vita reali, et consequen-

ter, etiam ab aequitate et iustitia arcendi. Res ita non fuit apud Romanos, qui ius authenticum aeternumque invenerunt in vita ipsa, haud nimis in conceptibus abstractis et systemate iuridico occupati. Sine dubio cl.mus Prof. Iglesias ab omni systemate non abhorret. Etiam in iure conceptibus ac systemate uti opus est, ut scientia iuridica sit. Hoc unum reiiciendum: illa nimis aestimare illisque nimis indulgere.

Quod spectat id in quo constructio systematica iuridica consistere debet, contentus est noster auctor ideis Ihering, quas describit, prout hic eas in praeclaro opere « Der Geist des röm. Rechts » continet.

Mons. Pérez Mier recenset prae primis tres diversas methodos respiciendi tractandique ius canonicum: exegeticam, scilicet, systematicam, mixtam. Hae exstiterunt in iure veteri, et implicita sunt adhuc in nostro vigente iure sive Codicis sive aliorum documentorum ad re attinentium. Deinde quaestionem agitat de applicatione technicae civilis iuri canonico. Tenet iuste auctor in errore versari qui technicam civilem omnino applicandam iuri nostro canonico dicunt. Hoc nimirum ad ulteriorem errorem conduxit, videlicet; ad negandum normis et systemati canonicis characterem stricte iuridicum. Attamen hoc haud certe secumfert ius canonicum a civili campo plura sumi non posse; etenim, cum ambo in hoc conveniant quod ius sint, eadem logica, iisdemque conceptibus in materiis communibus non uti non possunt. Quaestio hinc statui valet solum de gradu quo canonico systemati cum

civili communicare liceat. Disputatio scatet heic opinionibus pluribus. In omni autem casu Mons. Pérez Mier id ut inconcussum tenet: ad producendas leges opus esse etiam in iure canonico certo systemate certaque constructione conceptum institutorumque iuridicorum dummodo rigiditas formularum absit. Ad quod postremum iuvabit momentum maximum quod in ordinamento iuridico Ecclesiae ius naturale et ius publicum (finis publicus) tenent.

Consentire ut plurimum cum praeclarissimo Mons. Pérez Mier nobis placet, nisi quod desideravissemus ulteriorem explicationem postremae subindicatae ideae, scilicet: quo pacto facile componantur inter se illa duo: positio eminens simul et iuris naturalis et iuris publici in ordinamento canonico.

Technica legislativa

Tandem de hoc postremo themate scribit Prof. Ciprotti sub titulo: *De arte leges ferendi in iure canonico.*

Suppositis iustitia, possibilitate et utilitate legis, ars legislatoris splendere debet forma; ad quod, dicente Ciprotti, potissimum confert leges tanta selectione tamquam apta dispositione terminorum proferre, ut « illae faciles sint intellectu neque obscuritate laborent » (p. 332-33); ita quidem ut etiam non iuristae earum sensum facile apprehendere valeant. Demum, legislatoris, qui artem leges ferendi vere possideat, est ordinamentum iuridi-

cum sobrium inducere, eas tantum leges condens quae stabilitate ac momento gaudere queant.

Sic absolvitur hoc praetiosum volumen, quod et eos qui obiectum atque ordinem laborum proposuerunt et eos qui studia perfecerunt et scientiam ipsam iuris canonici magno cumulat honore.

O. Robleda, S. I.

CONSULERE CELEBRATIONEM MATRIMONII IN ECCLESIA HAERETICA.

Bernulfus, parochus in pago exiguo, ex magna parte calvinistico, iam a multo tempore est amicus Lebuini, medici unici in pago, eiusque uxoris. Hi duo coniuges sunt calvinistae, fideles in adimplendis obligationibus religionis propriae, vitam ducentes sub aspectu morali exemplarem. Multos habent filios. Exercent caritatem et Lebuinus numquam dabit patientibus catholicis consilium doctrinae catholicae contrarium. Etiam propter hoc ab initio amicitiam quaesivit parochi, ut possit in his rebus eius obtinere consilium. Etiam filii parochum habent amicum.

Aliquo die Zachaeus, filius primogenitus, adit parochum, dicens : tibi notum est me mox initurum esse matrimonium. Sponsa mea baptizata est apud Lutheranos. Ipsa est bona et generaliter christiana. Non tamen frequentare solet ecclesiam lutheranam. Ipsa mavult contrahere civiliter tantum. Ut mihi placeat parata est adire ecclesiam nostram ibique celebrare. Celebratio erit in civitate ubi habitat sponsa. Nescio quid faciam. Sane, si apud nos matrimonium esset Sacramentum sicut apud vos, catholicos, non dubitarem. Sed quare adire ministrum nostrum, qui in hac re nihil peragere potest nisi aliquas ceremonias? Quid mihi consulis?

Videns parochum deliberantem Zachaeus addit : intelligo bene te non posse statim dare respon-

sionem; etiam pro me melius est ut tranquiliter deliberes; consilium tuum erit maioris adhuc valoris. Si tibi placeat redeam post tres dies.

Solus, post coenam, Bernulfus coepit deliberare.

1. Verum est quod protestantes tenent matrimonium non esse Sacramentum. Ex hoc autem non sequitur quod non *est* Sacramentum. Si utraque pars contrahens sit baptizata, matrimonium est Sacramentum, sive partes sint catholici sive protestantes sive aliquid aliud. Sed hoc nullum valorem habet pro meo casu. Nam etiam catholici non contrahunt propterea in ecclesia, quia minister (sacerdos) ipsis administrat Sacramentum matrimonii. Hoc enim non est verum. Sacramentum matrimonii etiam recipiunt contrahentes, si celebrent quin intersit sacerdos, dummodo valide celebrent absque sacerdote. Quod autem communiter catholici nequeunt celebrare valide absque sacerdote, non est quia sacerdos necessarius est ut recipiant Sacramentum, sed quia lex ecclesiastica statuit formam iuridicam servandam ad validitatem. Dantur tamen casus in quibus catholici recipiant Sacramentum, quin interveniat sacerdos (c. 1098).

Ratio ob quam hodie catholici contrahere debent in ecclesia et cum ceremoniis religiosis, non est quia matrimonium initum sine parocho vel sacerdote potestate assistendi praedito non est validum. Nam etiam antequam hoc ius vigebat (ante Concilium Tridentinum; Caput « Tametsi »), fidelibus praescriptum erat ut contraherent coram sacerdote. Solummodo hoc non erat praescriptum *ad validitatem*. Ratio est alia, scilicet: quia maxime

conveniens est et fidelibus proficuum, ut matrimonium sic celebretur ut contrahentibus et circumstantibus inculcetur matrimonium iam ex se, et modo speciali matrimonium christianum, esse rem sanctissimam, a Deo institutam, a Deo legibus munitam, praecipue quoad unitatem et indissolubilitatem et obligationes coniugum erga invicem et filios. Etiam pro protestantibus aliisque sive baptizatis sive non, celebratio religiosa habet hos effectus bonos. Amplitudo istorum effectuum dependet ab indole ceremoniarum, sed quoad substantiam sequuntur ex qualibet celebratione religiosa. Quare, haec ratio a Zachaeo allata non est ad rem.

2. Non haesitarem statim decidere in favorem celebrationis religiosae, si non haberetur illa difficultas quae oritur ex facto quod agitur de cultu seu religione *falsa*. Zachaeus et sponsa et alii sunt in bona fide. Sed hoc solum non iustificat *me*, qui probe scio cultum calvinisticum esse cultum falsum, sicut scio omnes religiones praeter religionem nostram esse falsas. Videamus igitur utrum ex hac parte habeatur ratio ob quam mihi non liceat Zachaeo consulere ut celebret matrimonium religiosum.

3. Legi apud plures moralistas licitum esse consulere minus malum. Primo aspectu dicerem consulere matrimonium religiosum prae matrimonio mere civili esse consulere minus malum ex duobus inter quae Zachaeus se electurum esse iam statuit.

Sed conscientia mea quasi instinctive non plene assentit huic sententiae moralistarum, ceteroquin non communi. Legi articulum quod Prof. Ben-

der O. P. de hac re scripsit in Ephemeridibus Lovaniensibus 1931. Rationes ibi datae vere probant sententiam: non esse licitum consulere minus malum. Etenim, qui consulit alteri ut agat aliquid quod est malum morale seu peccatum, eum *inducit ad hoc peccatum.* Alicui aliquid consulere est ei dicere « fac hoc ». Qui autem alicui dicit « fac hoc », saltem *ex parte sua,* eum inducit ad faciendum hoc, et *omnino,* si alius consilium accipit et facit « hoc ». Si agatur de peccato, inducit alium ad peccatum. Et inducere aliquem ad peccatum non est licitum, numquam. Fieri potest ut ille qui consulit minus malum agat cum *fine* bono, scilicet ut abstrahet alium a peccato graviori. Sed eo solo actus non est iustificatus. Nam finis non iustificat medium. Ut actus sit bonus et non malus non sufficit ut ponatur ob finem bonum. Requiritur etiam ut medium non sit malum. Consulere fornicationem vel furtum non fit bonum, quia fit ob finem bonum, sicut nec ipsa fornicatio vel furtum fit bonum eo quod fit ob finem bonum.

Non tamen habetur consulere minus malum, si id quod consulitur non est actus malus, sed actus indifferens habens effectus nocivos. Propter hoc licitum est consulere actum qui non est malus, sed habet effectus malos, ad retrahendum alium ab actu malo vel ab actu qui habet effectus peiores. In tali casu non consulitur minus malum, sed actus indifferens minus nocivus. Neque habetur consulere minus malum, si verba adhibita materialiter quidem significant *consilium* agendi minus, sed in circumstantiis concretis adhibentur et intelliguntur ut *sola retractio* a maiori malo, e. g. si di-

cam Titio: tu vis furari summam 10.000 libellarum; melius est et tibi consulo solummodo furari 5.000. Tunc sensus verborum clarus est: consulo tibi *non furari* plus quam quinque milia; consulo te diminuere furtum, quia non possum te retrahere a furando saltem partem. Patet enim indolem consilii non dependere a *verbis materialiter sumptis* seu a sensu quem verba habent *in abstracto,* sed a sensu quem verba revera habent in adiunctis concretis et quem omnes intelligunt. Sed etiam clarum est quod hoc solummodo valet quoties minus malum sit pars mali maioris a quo alius detrahitur, et non si duo mala sunt omnino diversa, e. g. consulere fornicationem ut quis desistat ab occisione sui vel a blasphemia.

Neque illicitum est alicui dicere: tu vis aut hoc aut illud facere; hoc supposito mihi videtur melius illud facere; tunc minus peccas. Nam etiam tunc non habetur *consulere,* et verbum *melius* in contextu clare habet sensum « minus malum ». Nemo qui audit me dicentem: melius est habere febrem quam habere cancrum putat me tenere quod febris et cancer se habent tamquam duo bona, minus et maius. Sensus verborum evidenter est: tamquam minus malum et magis malum.

Quapropter, concludit Bernulfus: problema solvi non potest applicando sententiam de liceitate consulendi minus malum. Prius requiretur ut hoc minus non esset proprie malum *morale.* Sed, pro dolor, consilium meum videtur esse consilium faciendi aliquid quod est malum morale, scilicet actus cultus falsi.

Insuper alia pars eligenda a Zachaeo nullate-

nus videtur malum morale; a fortiori non malum maius. Personae non catholice baptizatae enim, cum non teneantur matrimonii forma canonica, licite possunt contrahere coram magistratu civili. Pro ipsis hoc non est malum.

4. De hac re pressius est investigandum. Dantur auctores qui aliter iudicare videntur. Lego apud Ottaviani: « Matrimonium civile quod dicitur est religioni maxime iniuriosum, iura et conscientiam catholicorum laedit atque moralitati publicae nocivum existit ». Sed hoc videtur nimis generaliter dictum. Enuntiatio manifestat auctorem qui natus et educatus in patria ex toto catholica, scribit pro lectoribus eiusdem conditionis.

Matrimonium civile prius institutum est in Hollandia et quidem non sponte ab auctoritate civili nec ab acatholicis, sed instigatione *catholicorum*. Cum enim in Hollandia tunc temporis religio calvinista haberetur sola religio a Statu agnita, et matrimonia celebrari debebant, sicut semper fuerat, coram ministro religionis, status rerum erat sic ut matrimonia in ordine ad effectus civiles obtinendos celebrari debebant non amplius coram parocho catholico sed coram ministro religionis calvinianae. Catholicis sane non stricte prohibitum est contrahere matrimonium ut aiunt *civile*, coram ministro acatholico officialis civilis munere fungente idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia. Catholici in Hollandia tamen hoc aegre faciebant, et exegerunt ut possent actum illum civilem ponere coram magistratu civili; antea vel postea celebrabant coram parocho catholico.

Ecclesiae odiosum praecipue est matrimonium civile ut aiunt *obligatorium,* sicut est a Napoleone inductum et hodie late diffusum apud populos non catholicos. Et hoc tantummodo si agatur de personis baptizatis. Matrimonium civile obligatorium pro non baptizatis non tantum non est odiosum Ecclesiae, sed res optima. Nam sicut bonum commune requirit legem de celebrationis forma canonica pro baptizatis, sic bonum commune exigit legem de forma civili celebrationis pro non baptizatis. Neque silentio praetereundum est quod personarum baptizatarum, sed non in Ecclesia catholica, exemptio ab obligatione servandi formam canonicam, vi cuius exemptionis istae personae contrahere possunt quolibet modo naturaliter valido, etiam omnino privatim et occulte, maximam induxisset incertitudinem circa statum liberum eorum, si pro ipsis non existeret matrimonium civile obligatorium. Nunc huiusmodi personae practice non contrahunt nisi coram magistratu civili, ita ut eorum matrimonia sint publica et adnotata in aliquo registro publico [1]. Sed etiamsi institutio et retentio matrimonii civilis in aliquo Statu sit Ecclesiae odiosum, non sequitur quod Ecclesiae odiosum sit quod personae natae et educatae in calvinismo et proinde bona fide hanc praxim exercentes tamquam

[1] Quod Legislator ecclesiasticus potuit absque gravi damno pro ordine sociali baptizatos acatholicos eximere a lege de forma servanda est, quia datur matrimonium civile « obligatorium » pro hisce baptizatis. Si hoc deesset, haberetur magnus numerus matrimoniorum valide contractorum, quae non essent notata neque in libris ecclesiasticis neque in regestis civilibus. Ut hoc malum praecaveatur Concilium Tridentinum condidit legem de forma iuridica servanda ad validitatem.

bonam et iustam, matrimonium civiliter contrahunt. Huiusmodi personae enim agunt secundum legem Ecclesiae catholicae, utentes libertate quam Ecclesiae ipsis concedit (c. 1099 § 2). Sane, hanc concessionem Ecclesia non facit libenter, in hoc sensu quod proprie vult et desiderat, ut haeretici redeant ad eam, Ecclesiam veram. Sed propter necessitatem dolorosam, sed *vere existentem,* Ecclesia hodie baptizatis extra Ecclesiam catholicam concedit hanc libertatem. Ea uti non est malum nec Ecclesiae odiosum.

Ex his omnibus concludit Bernulfus: cum civiliter contrahere pro Zachaeo non constituit malum morale, consilium meum numquam iustificari potest cum sententia « licet consulere minus malum ». Consulendo matrimonium celebrandum coram ministro calvinista est consulere malum morale aut non est consulere malum morale. Si sit consulere malum morale, non est licitum nec iustificari potest tamquam consulere minus malum, quia alia pars elegenda non est malum. Si autem non sit consulere malum morale, consilium non est in se illicitum, sed res in concreto dependet ab adiunctis.

5. Quis est indolis moralis actus, quem perficit Zachaeus, calvinista bona fide, contrahens matrimonium coram ministro religionis calvinianae? Responsio non est facilis. Ni fallor, debemus attendere ad hoc quod non *quilibet* actus religionis aut cultus divini, quem peragit protestans et in genere haereticus, est actus obiective malus. Haereticus qui recitat « Pater Noster » vel qui elicit actum caritatis erga Deum non ponit actum ob-

iective malum, etiamsi hoc faciat in templo suae sectae et simul cum ministro suae sectae. Actus cultus personae haereticae est actus obiective malus, si actus sit specifica actus *cultus falsi* seu actus quem peragere catholico non esset licitum, quia cultui vel fidei catholicae saltem implicite contrarius, e. g. praedicatio doctrinae haereticae; cantare hymnos in quibus negatur realem praesentiam, celebratio « cenae » lutheranae.

Ratio qua catholicis non licet frequentare functiones religiosas protestantium non est quia *omnia* quae ibi fiunt sunt actus mali saltem *obiective,* sed quia huiusmodi actus obiective mali ibi facile peragi possunt; deinde quia frequentia vel assistentia potest esse implicita approbatio huius sectae separatae ab Ecclesia vera; et deinde propter periculum perversionis et scandali.

Ad quam speciem pertinet celebratio matrimonii? Ni fallor, apud protestantes (saltem multos) in regionibus ubi protestantes non sunt catholicismo infensi, sed solummodo illum reprobant tamquam religionem aliam a propria ideoque non veram, celebratio matrimonii nihil continet quod est in se seu obiective malum, haereticum, reprobandum. Eorum solemnitas matrimonialis constat benedictione, praedicatione et cantu; monitionibus respicientibus matrimonium tamquam institutum divinum eiusque obligationes. Ubi hoc ita est consilium celebrandi potius matrimonium religiosum quam mere civile non videtur esse consilium quo consulitur aliquid malum, si detur personae huic ecclesiae vel sectae bona fide inhaerenti et quae

frequentare solet functiones in hac ecclesia celebratas.

6. His omnibus mature perpensis Bernulfus concludit ipsum non dare consilium in se malum sive consulat ut celebrent in ecclesia sive consulat ut celebrent solummodo civiliter. Quid nunc est consilium quod dare debet tamquam vir prudens et cupiens providere felicitati et bono spirituali amici sui Zachaei?

Etsi verum sit quod minister calvinista nequit conferre sacramenta et sacramentalia, nec agere ut minister Christi et Ecclesiae Suae, tamen celebratio religiosa matrimonii est actus tam partibus contrahentibus quam personis ei adstantibus valde proficuus. Hac celebratione in omnium memoriam revocatur, mentibus sponsorum inculcatur et adstantibus praedicatur matrimonium esse aliquid sanctum et a Deo modo speciali institutum; legibus divinis munitum, quas servare debent coniuges, propter eorum felicitatem etiam naturalem, et quia ipsi Deo rationem reddere debebunt de fideli observatione harum legum, etc. etc. Matrimonium mere civile nihil eorum praebet sive contrahentibus sive aliis.

Merito concludit Bernulfus: conveniens est ut Zachaeo consulem ut contrahat matrimonium religiosum et non mere civile.

Corollarium.

Si admisisset consulere matrimonium in ecclesia haeretica et cum ministro haeretico esse actum malum, Bernulfus non potuit dare hoc consi-

lium. Sed ex hoc non sequitur quod deberet respondere: « consulo ut celebres matrimonium mere civile »; aut abstinere a quolibet consilio. Dantur responsiones magis adaptae et utiliores.

In hac suppositione posset et etiam nunc potest loqui sic. Care Zachaee, tu scis quod ego sum catholicus et tamquam catholicus non possum tibi consulere ut adeas ecclesiam protestanticam. Sicut tu et parentes tui non approbant religionem nostram et cultum nostrum, sic e converso ego non possum approbare religionem vestram. Possumus nihilominus, sicut facimus, nos invicem amare et in aestimatione habere. Tu ipse bene vides quod melius est celebrare matrimonium circumdatum ceremoniis religiosis quam solum contrahere civiliter. Si deberem consilium dare iuveni catholico versanti in tuis circumstantiis, i. e. iuveni qui posset valide et licite celebrare etiam civiliter tantum, non haesitarem ei consulere et quidem instanter, ut celebret matrimonium religiosum seu in ecclesia. Nos catholici et vos protestantes tenemus omnes matrimonium esse aliquid sacrum, institutum a Deo; initium vitae novae. Huiusmodi res non bene fiunt actu mere civili.

Si hoc consilio accepto Zachaeus decidat ad matrimonium religiosum, quod tunc erit in ecclesia calviniana, hoc est post consilium a parocho dato *in generali*. Parochus non consuluit adire ecclesiam calvinianam. Parochus dedit consilium mere doctrinale [2], indicans secundum veritatem ma-

---

2 Consilium doctrinale non movet sed instruit; non inducit sed docet qui agendi modus ex duobus vel pluribus sit minus malum.

trimonium religiosum esse praeferendum matrimonio civili. Quod Zachaeus adeat ecclesiam calvinianam et non catholicam, hoc non facit ductus consilio Bernulfi; in hoc seipsum ducit, eligendo. Huiusmodi consilium *in se* numquam est malum. Et in casu ne ex circumstantiis redditur malum.

Dr. L. Bender, O. P.

Tale consilium dare non est *inducere* ad malum, sicut etiam occasionem dare ad peccandum (minus) non est inducere ad malum minus. Si ex hisce actibus peccatu msequitur, sequitur ut effectus per accidens; sequitur voluntate libera personae cui instructio datur vel cui praebetur occasione agendi minus malum. Consulens tantummodo agentem *abstrahit* a peccato maiori. Utrum huiusmodi consilium doctrinale sit licitum dependet ab omnibus adiunctis. Fere semper erit licitum, si agatur de abstrahendo alium a peccato graviori.

TRES ALLOCUTIONES ULTIMAE PII PAPAE XII DE MEDICINA

Pius Papa XII felicis recordationis in hebdomadis immediate mortem suam praecedentibus tres allocutiones specialis momenti pro medicis et moralistis habuit. Operis pretii erit breviter indicare tum problemata tractata tum principia in solutionibus adhibita. Allocutus est Pontifex lingua gallica iis qui interfuerunt conventibus internationalibus pro Sanguinis Transfusione, Collegii Internationalis Neuro-Psycho-Pharmacologici, Societatis Internationalis Haematologiae [1].

I. Societati Internationali pro Sanguinis Transfusione

1. *Sollicitudo ecclesisae*. S. Pontifex affirmat Ecclesiam Christi sine cura esse non posse quando problemata relate ad vitam humanam individualem vel socialem, temporalem vel aeternam solvi debeant. In problematibus scientiae geneticae adnexis, exempli gratia, Ecclesia potest quid positive conferre vel saltem opportunis consiliis adjuvare ne mala patrentur.

2. *Problemata e sanguine orta*. Unum problema specifice elaboratum a S. Pontifice erat illud

---

[1] *Acta Ap. Sedis*, vol. L. (1958), pag. 726-732; 687-696; 732-740.

factum bene notum, « situatio Rh », i. e. conditio in qua versatur mulier, cujus Rh factor est negativus, si matrimonio juncta est marito cujus Rh factor est positivus; tunc periculum prolem defectuosam generandi adest. Mater ipsa « anticorpora » contra Rh positivum producit, et si Rh factor prolis in utero est positivus, sanguine suo damnum proli infert.

Alterum problema clare expositum erat sic dicta anemia mediterranea [2]. Medici in scientia genetica periti concludunt filios tali anemia laborantes, qui generatim in primis annis moriuntur, generatos esse a parentibus qui ambo sanguinem malo mediterraneo infectum habent. Qui putant se omnino sanos esse, sua unione maritali effectus tam funestos et in vita familiari tam tragicos causare possunt.

Pius XII desiderat ut omnes quibus interest bene de his rebus instruantur. Cum scientia genetica tantopera progressa sit, hodie homines ad ea ex quibus damnum permanens et miseriae interminabiles pro filiis suis sequi possunt caute attendere debent.

3. *Extensio ad gentes.* Etsi dicta hac in Allocutione de hereditate applicari possunt sensu lato diversis gentibus in mundo, nihilominus magna cum cura evitari debet exaggeratio haud scientifica

---

[2] Cf. Curt Stern, *Principles of Human Genetics*, San Francisco, 1950, pag. 163-164. Nominatur etiam « Cooley's anemia » a medico qui primus hanc conditionem clare descripsit. Etiam vocatur « thalassenica anemia » i. e. prope mare (mediterraneum sane) inventa. Fere exclusive Greci, Itali, Syri, Armenii et descendentes eorum afficiuntur. Laborantes tali defectu circiter quattuor per centum esse videntur.

valoris originis vel gentis. Ecclesia Christi omni tendentiae in favorem genocidae semper obstabat. Simili modo se opponit modis agendi fundatis in sic dicto « colour-bar », i. e. in discrimine inter homines facto ob cutis pigmentum [3]. Et etiam approbari non possunt experimenta in scientia genetica quae parvi pendent hominis naturam spiritualem et eum tamquam meram speciem inter animalia tractant.

II. Collegio Neuro-Psycho-Pharmacologico

In parte prima hujus Allocutionis S. Pontifex locutus est de fructibus haud parvis e studio neuro-psycho-pharmacologico perceptis. Notatur hic periculum pro populo recurrendi nempe ad medicamenta quae tranquillitatem afferunt, nullis restrictionibus impositis, et mere ad omnes difficultates emotionales, et illos timores et tensiones, activitatibus occupationibusque hodiernae vitae humanae inseparabiliter adnexas, evitandas.

Altera in parte veritates proponuntur et normae dantur e quibus deduci possint obligationes tum specialistae in scientia neuro-psycho-pharmacologica tum eorum qui talibus remediis utuntur. Specialista homines ut objecta scientiae considerat. Omnis homo tamen est etiam persona, est agens

---

3 Hierarchia ecclesiastica in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis in unionem annualem coadunata (Nov. 1958) iterum segregationem ibi existentem condemnavit. In theoria segregatio damnanda est saltem in quantum contemptus aliorum involvitur, et in praxi jurium privatio sequitur.

moralis regulariter propria responsabilitate gaudens, qui habet finem ultimum a Deo datum et actibus secundum dictamina Dei et conscientiae fideliter positis attingendum. E quibus nonnullae conclusiones fundamentales sequuntur.

2. *Dignitas humana.* Ex exigentiis ordinis moralis unusquisque proximum aestimare et considerate et debito cum honore tractare debet. Omnis homo a Deo creatus et a Christo redemptus, quidquid sit de aetate, conditione, occupatione, cultura, jus ut digne tractetur semper habet.

2. *Experimenta.* Homo jura nonnulla immediate a Deo recepta habet quae ne publica quidem auctoritate violari possunt. Tres rationes ad justificandum tum methodum investigationis a parte medicorum tum remedia quaedam moderna allegantur: ad progressum scientiae conferunt; in bonum individui sunt; in bonum societatis sunt. Quae bona tamen nullo modo sunt valoris absoluti, et non necessario sequitur, iis adeptis, nullum jus violari. Videre necesse est primo utrum omnia jura personae cujus cura a medico assumitur illaesa servantur; secundo utrum de facto jus consentiendi in hanc investigationis methodum vel in hoc remedium habeatur; tertio utrum verus consensus praestatur.

3. *Consensus.* Pontifex magna cum emphasi de hoc elemento essentiali locutus est. Requiritur consensus realis qui legi naturali conformis sit, et non ex errore, ex ignorantia, propter dolum datus, praestitus tandem aliquando ab eo qui consentiri competens est. Consensus ipse tamen, non ob-

stante regula juris « volenti non fit injuria », omnia licita facere simpliciter non potest.

4. *Principium totalitatis.* Ut usufructuarius, bonus administrator corporis sui, quis potest se mutilare vel partem corporis destruere necessitate compulsus ad totius organismi bonum. Bonum totius est ratio justa ad partem destruendam — pars propter totum. Organa organismo ipsi qui suum proprium finem habet subordinantur, et organismus ipse bono spirituali personae subordinatur. Potest fieri ut usus remediorum, ad morbum physiologicum vel psychicum curandum, damnum organo cuidam vel functioni inferat, et nihilominus omnino licitus sit, ad bonum personae nempe conducens, et illas limites, a Deo positas dominio in vitam et corpus humanum, non excedens. Luce clarius est talia principia etiam in psychopharmacologia valere.

5. *Fortitudo Christiana heroica.* Qui remediis ad tranquillitatem animae praestandam vel ad dolores supprimendos confectis utitur, nullum principium theologiae moralis violat. Nolle uti remediis talibus tamen hominem fortitudine Christiana heroica imbutum manifestare potest, et sat frequenter manifestat. Errant nihilominus qui dolorem ut conditionem sine qua non ad heroicum fortitudinis Christianae exercitium ponunt.

6. *Narcotica.* In quantum serviunt mere ad dolorem sedandum dicta in numero praecedenti sufficiant. In quantum et carentia usus rationis sequeretur, tum ad finem intentum, tum ad effectus intentos vel etiam non intentos caute attendendum

est. Si nulla obligatio ex parte religionis vel moralitatis opponitur, i. e. obligationibus rationabiliter expletis, et si rationes proportionate graves ad usum narcoticorum adsunt, consensu praestito, etiam moribundo dari possunt. Euthanasia omnis, humana auctoritate freta, quia voluntas occidendi adest, procul dubio ut semper moraliter mala damnanda est. Consensu moribundi praestito, narcoticis moderate ad dolores alleviandos uti, etsi per consequens mors citius adveniret, non est euthanasia. Hoc in casu mors non intenditur, sed tantum acceleratio mortis inevitabilis propter rationes proportionate graves permittitur.

III. Societati Internationali Haematologiae.

In parte prima hujus Allocutionis S. Pontifex nonnullas solutiones problematorum, e defectuosa hereditate ortorum, jam propositas crisi morali subjicit. His bene perpensis ad septem questiones sibi submissas praesertim de re laudata, de prematrimoniali investigatione medicali, et de hereditate defectuosa ut vero consensui matrimoniali non obstante, respondet. In crisi illa morali ad principia omnino fundamentalia recurritur et in iis judicium morale latum solide fundatur. Tamquam solutiones inseminatio artificialis, adulterium ad solvendum dubium de sterilitate, sterilizatio a nonnullis proponuntur. Contraceptio, continentia periodica, et adoptio etiam tractantur.

1. *Inseminatio artificialis.* Alibi explicite et ex professo omnis inseminatio artificialis proprie

dicta ut contra ordinem moralem rejicitur [4]. Rejicitur non tantum illa inseminatio artificialis in qua semen ab alio tertio donatur, et illa quae fit inter personas non eodem matrimonio conjunctas, sed etiam inter ipsos conjuges. Artificialis inseminatio inter jura matrimonialia non includitur, est legi naturali opposita, et proinde omnibus prohibita.

2. *Adulterium.* Nullis rationibus sive biologicis, sive eugeneticis, sive juridicis adulterium umquam justificatur. Plane impossibile est conjugem ita de suis juribus matrimonialibus disponi ut a tertia persona frui possint. Hac in re illa regula juris « violenti non fit injuria » applicari non potest.

3. *Sterilizatio.* Sterilizatio sive personae sive ipsius actus coniugalis ut medium contra hereditatis defectuosae transmissionem favetur his diebus praesertim cum effectus intentus e mera sumptione aliquorum medicamentorum recenter inventorum haberi possit. Proh dolor etiam nonnullorum theologorum judicium de moralitate usus talium medicamentorum rejiciendum est. Errant quidam vel principia quaedam theologiae moralis non recte intelligentes vel in sensu et in scopum quem omnino habere non possint applicantes.

Sterilizatio directa, i. e. in qua impossibilitas procreandi sive ut medium sive ut finis intenditur legem moralem graviter violat et est prorsus illicita. Ratio non datur ob quam vel ipsa auctoritas publica innocentis sterilizationem imponere po-

---

[4] *Acta Ap. Sedis,* vol. XXXXI (1949), p. 557 ss.; vol. XXXXVIII (1956), p. 467 ss.

test [5]. Non omnis tamen actus ex quo impossibilitas procreandi sequitur est directa sterilizatio. Effectus etiam praevisus non semper intenditur. E necessaria ovariorum male affectorum remotione, exempli gratia, impossibilitas procreandi procul dubio praevidetur, sed etiam his in circumstantiis sterilitatem ipsam sive ut finem sive ut medium intendere non licet. Glandulas vel organa sexualia, ad transmissionem hereditatis defectuosae evitandam, removere nil aliud est quam sterilizationem directe intendere et proinde est semper illicitum.

4. *Pharmaceutica sterilizatio*. Dubium de liceitate ovulationem impediendi, medicamentis sumptis in remedium uteri vel totius organismi male se habentis, iisdem principiis ac in numero praecedenti solvitur. Ovulatione impedita, sine dubio fecundatio impossibilis fit. Quaeri potest etiam utrum uxori, talibus medicamentis sumptis, pro tempore sterili, relationes conjugales si ipsa velit licitae sint. Ex intentione agentis pendet responsum. Si medicamenta non ad conceptionem praecavendam, sed tantum ut remedium necessarium, praescriptum contra morbum uteri vel organismi, sumuntur, sterilizatio effecta est indirecta et secundum principium duplicis effectus licita. E contra si medicamenta ad ovulationem supprimendam sumuntur, ne praegnantia secuta uterus vel organismus nimis graventur, illa sterilizatio est evidenter directa et moraliter mala. Etiam est sterilizatio directa talibus medicamentis uti ne mox concipiatur vel ut conveniens spatium temporis, judicio medici

---

[5] *Acta Ap. Sedis,* vol. XXXXIII (1951), p. 843 ss.

indicatum, inter gestationes habeatur. Finis intentus est, ovulatione impedita, impedire conceptionem. Valet sane principium: « licet corrigere defectus naturae ». Quo principio recte intellecto, tamen, suppressio ovulationis in casibus supra allatis non justificatur. Affirmant nonnulli esse rationabiliter probabile agi illis in circumstantiis de defectu naturae. Principium allatum, tamen, non est valoris absoluti. Necesse est caute attendere quomodo defectus naturae mederi queant et ut remedium, aliis principiis moralibus inviolabiliter servatis, habeatur [6].

5. *Contraceptio.* Sunt specialistae in scientia genetica qui contraceptionem approbant tantum ut minus malum relative ad prolis ex hereditate defectuosae procreationem. Christiana traditio, tamen, omnino aliter de hac re judicat. Doctrina in verbis Pii XI sollemniter exprimitur: « ... quemlibet matrimoni usum in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculati » [7].

6. *Continentia periodica.* Usus e contra periodi naturalis sterilitatis ut secundum theoriam Ogino-Knaus habetur, non est contra legem naturalem. Relationes conjugales etiam illis diebus sunt secundum Creatoris voluntatem. Qui propter rationes proportionate graves relationes conjugales ad ageneseos dies restringunt ex hoc fonte non pec-

---

6 Cf. textum ipsum pag. 295 s.

7 *Acta Ap. Sedis,* vol. XXII (1930), pag. 559-560.

cant. Indicationes sic dictae eugeneticae etiam tantam gravitatem habere possunt. Et haec clare in verbis Pii XI proponuntur : « Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt conjuges, qui iure suo recte et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive temporis sive quorundam defectuum causas nova inde vita oriri non possit » [8].

Conjuges tamen qui suis juribus matrimonialibus utuntur, e lege naturali pro conjugibus lata non excludere procreationem positive obligantur. Hic de lege positiva agitur, et procul dubio principia de omnibus legibus positivis valent. Lex positiva non obligat quando in observatione involvitur incommodum notabile, legi non inseparabiliter adnexum, non ex mera legis impletione habitum sed aliunde veniens et proinde non ab ipso legislatore intentum.

7. *Adoptio.* Nulla ratio ex parte religionis vel moralitatis adoptioni opponitur. Religionis causa, re vera, necesse est exigere ut filii catholicorum a catholicis adoptentur. Fere semper parentes filio adoptivo suam religionem imponunt.

De sterilizatione pharmaceutica

His igitur in Allocutionibus ultimis Pii XII f. r. medicis factis magna ex parte solutiones breviter et clare expressas, sententias jam fusius in aliis illius sane fructuosissimi pontificatus Allocutionibus propositas habemus. Eminet aliquomodo

---

[8] *Acta Ap. Sedis,* vol. L (1958), pag. 736; vol. XXII (1930), pag. 561.

tamen punctum alibi non jam tractatum, nempe doctrinam de sterilizatione pharmaceutica. Qua in re ipsa verba summi Pontificis erant:

Ils permettent aussi de résoudre une question très discutée aujourd'hui chez les médecins et les moralistes: Est-il licite d'empêcher l'ovulation au moyen de pilules utilisées comme remèdes aux réactions exagérées de l'utérus et de l'organisme, quoique ce médicament, en empêchant l'ovulation, rende aussi impossible la fécondation? Est-ce permis à la femme mariée qui, malgré cette stérilité temporaire, désire avoir des relations avec son mari? La réponse dépend de l'intention de la personne. Si la femme prend ce médicament, non pas en vue d'empêcher la conception, mais uniquement sur avis du médecin, comme un remède nécessaire à cause d'une maladie de l'utérus ou de l'organisme, elle provoque une stérilisation *indirecte*, qui reste permise selon le principe général des actions à double effet. Mais on provoque une stérilisation *directe*, et donc illicite, losqu'on arrête l'ovulation, afin de préserver l'utérus et l'organisme des conséquences d'une grossesse, qu'ils ne sont pas capables de supporter. Certains moralistes prétendent qu'il est permis de prendre des médicaments dans ce but, mais c'est à tort. Il faut rejeter également l'opinion de plusieurs médecins et moralistes, qui en permettent l'usage, lorsqu'une indication médicale rend indésirable une conception trop prochaine, ou en d'autres cas semblables, qu'il ne serait pas possible de mentionner ici; dans ces cas l'emploi des médicaments a comme but d'empêcher la conception en empêchant l'ovulation; il s'agit donc de stérilisation directe.

Pour la justifier, on cite parfois un principe de morale, juste en soi, mais qu'on interprète mal: « licet corrigere defectus naturae » dit-on, et puisqu'en pratique il suffit, pour user de ce principe, d'avoir une probabilité raisonnable, on prétend qu'il s'agit ici de corriger un défaut naturel. Si ce principe avait une valeur absolue, l'eugénique pourrait sans hésiter utiliser la méthode des drogues pour arrêter la transmission d'une hérédité dé-

fectueuse. Mais il faut encore voir de quelle manière on corrige le défaut naturel et prendre garde à ne point violer d'autres principes de la moralité.

Principia fundamentalia illis in verbis continentur. Theologorum labor et opus est facta de natura et actione illorum medicamentorum cognoscere, et facta etiam de casibus concretis in quibus medici talibus remediis uti velint. Factis bene intellectis caute per principia recte applicata ad casuum solutionem perveniendum est. Operis pretii erit nonnullos articulos indicare ex quibus facta ipsa hauriri possint, et in quibus casus concreti secundum principia moralia solvendi proponuntur.

Tum facta e medicina tum ipsae rationes physiologicae optime describuntur in articulo :« Physiologic Control of Fertility: Process and Morality » [9]. Cujus articuli conclusio moralis fundamentalis est; Moraliter approbari non posse media physiologica contra normalem facultatis generativae functionem adhibita praecise vel ad conceptionem evitandam vel ad conceptionis fructum destruendum [10]. Etiam status questionis relate ad opiniones contrarias de usu medicamentorum ut menstruationis irregularitas corrigatur bene exponitur. Auctores inter conclusiones proponunt: menstruationis irregularitatem saltem in nonnullis casibus mediis moraliter licitis corrigi posse. De qua in corpore articuli tantum proponitur: usum me-

---

[9] William J. Gibbons, S. J. et Thomas K. Buch, The American Ecclesiastical Review, vol. CXXXVIII (1958), pag. 246-277.

[10] *Ibidem,* p. 277.

dicamentorum procul dubio ad regularitatem stabiliendam vel defectum corrigendum limitari [11]. Ad casus solvendos in praxi quid sit cyclus menstrualis normalis et in quo praecise abnormalitas consistat determinari debet.

In articulo: « L'inhibition de l'ovulation est-elle moralement licite? » facta e medicina huc pertinentia et bonum summarium articuli P. Gibbons, eadem de re modo magis populari scripti, dantur [12]. Quaeritur utrum nonnumquam ex indicationibus nonnullis ovulationem pro tempore impedire sit licitum. Respondetur: Salvo meliore judicio, indicationes sat graves ad talem effectum permittendum haberi, quando finis intentus est supplere remedium, medio naturali deficiente, vel contra conditiones pathologicas agere. In solvendis casibus auctor magis positive loquitur et ut videtur aliquomodo limites in priore articulo servatas extendere vult. Usus talium medicamentorum ad irregularitates pathologicas in menstruatione corrigendas approbatur. Proponitur etiam, cum per aliquot menses post partum, per tempus lactationis ordinarium, ovulatio ex ipsius naturae actione supprimi debeat, his in circumstantiis, naturali medio per accidens deficiente, fortasse medicamentis ad remedium supplendum licite uti posse. Ut aliud exemplum status pathologici menstruationes irregulares quae menopausim praecedunt indicantur.

« Progestational Steroids: Some Moral Pro-

---

11 *Ibidem*, p. 268.

12 L. Janssens, Ephemerides Theologicae Lovanienses, XXXIV (1958), pag. 357-360. Cf. W. J. Gibbons, S. J., Antifertility Drugs and Morality, America, vol. XCVIII (1957), pag. 346-348.

blems » exponit tum facta tum principia moralia ex quibus casus solvantur [13]. Usum medicamentorum horum recentiorum, quae duplicem effectum habent, si ex intentione effectus mali, nempe sterilizationis, adhibeantur, semper moraliter malum esse clare indicatur. Usus legitimi propositi ad sanandas graves in menstruatione irregularitates tunc enumerantur in amenorrhea, metrorrhagia et menorrhagia, oligomenorrhea, dysmenorrhea [14]. Dicitur etiam nonnullas mulieres infertiles, quae tamen ovulationes normales habebant, ovulationibus per aliquot menses totaliter suppressis, de facto concepisse postquam a medicamentis sumendis cessaverant [15]. Optat auctor ut theologi inter se discutant hujus suppressionis functionis liceitatem. Ut probabiliter licitam esse probat talem suppressionem arguit sterilizationem his in casibus locum non habere, quia in sensu proprio loqui non potest de sterilizatione personae teste experientia jam sterilis i. e. concipiendi incapacis.

In « Derniers Enseignements de Pie XII aux Médecins » verba Pontificis de sterilizatione pharmaceutica ut etiam historice majoris momenti recte designantur [16]. Per transennam dici liceat fortasse Papam nil de hesperidin vel de aliis similibus medicamentis contraceptionialibus, quae in unum tantum effectum ex natura sua ordinantur, dixisse,

---

[13] John J. Lynch, S. J., The Linacre Quarterly, vol. 25 (1958), pag. 93-99.

[14] *Ibidem*, pag. 96.

[15] *Ibidem*, pag. 98-99.

[16] Eugène Têsson, Etudes, vol. 299 (1958), pag. 240-248. Cf. pag. 245.

quia talia media evidenter illicita sunt. Facta physiologica et quid praecise his remediis recentioribus efficitur clare exponuntur. Usum talium medicamentorum ut remedium efficax contra morbum specifice determinatum, e. g. in amenorrhea, licitum esse concluditur. Etiam verbis Pontificis attente perlectis usus ad defectus in glandulis ex quibus menstrationes irregulares habeantur sanandas non videtur prohibitus [17].

In hoc summario trium Allocutionum papalium articuli supra indicati, ut manifestum sit nos hic agere de puncto haud parvi momenti et etiam hodie ad praxim pertinentis, sufficiant. Doctrina in Allocutione proposita, tum principia tum applicatio principiorum perpendi debent, ut theologi ex omnibus mundi regionibus inter se cooperantes pervenire possint ad conclusiones practicas ex verbis Papae Pii XII felicis recordationis recte deducendas.

FRANCISCUS FURLONG, S. I.

---

17 *Ibidem*, pag. 248.

MONUMENTA

SS. D. N. Pius Pp. XII

15 - EPISTULA ENCYCLICA

(AAS. L [22 sept. 1958] pp. 601-614)

Ad venerabiles fratres ac dilectos filios archiepiscopos, episcopos aliosque locorum ordinarios ceterumque clerum ac populum Sinarum, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: hortamenta ac normae impertiuntur in praesentibus Rerum Augustiis.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad Apostolorum Principis sepulchrum, in Vaticanae Basilicae maiestate, proximus Decessor Noster imm. mem. Pius XI, duobus et triginta abhinc annis, ut probe nostis, « Sinensis Episcopatus flores ... et germina novella »[1] rite consecravit et ad sacerdotii plenitudinem evexit; eoque sollemni horae momento paterno ex animo haec edidit verba: « Venistis quidem, Venerabiles Fratres,

[1] *A. A. S.*, XVIII (1926), pag. 432.

videre Petrum, immo etiam ab eo pedum accepistis, quo ad apostolica obeunda itinera ad ovesque congregandas uteremini. Petrus autem est vos peramanter amplexus, qui evangelicae veritatis apud cives vestros proferendae spem facitis non exiguam »[2].

Huius alloquii recordatio Nostrum hodie animum subit, Venerabiles Fratres et dilecti filii; hodie dicimus, cum Catholica Ecclesia in patria vestra afflictis utitur condicionibus. Magni illius Decessoris Nostri spes certe haud irrita fuit, neque incassum cecidit; quandoquidem nova Sacrorum Pastorum et Evangelii praeconum agmina primo illi Episcoporum manipulo adiuncta sunt, quos Petrus, in Successore suo vivens, ad lectissimos illos Dei greges pascendos miserat; novaque religionis opera et incepta, quamvis non paucae obstarent difficultates, apud vos floruere. Nos autem, cum subinde non sine magno gaudio ecclesiasticam hierarchiam in Sinis constituimus, spem illam participavimus et adauximus, atque ampliora vidimus aperiri itinera divino Iesu Christi Regno propagando.

Sed, pro dolor, paucos post annos, procellosis nubibus coelum obscuratum est; vestrisque christianorum communitatibus, quorum nonnullae iam antiquitus florebant, tristia inciderunt tempora dolorumque plena. Missionales, in quibus erant Archiepiscopi et Episcopi multi apostolico studio praestantes, itemque Internuntium Nostrum vidimus e Sinarum terra abire coactos; sacros Anti-

2 *Ibid.*

stites, sacerdotes, religiosos religiosasque sodales et christifideles multos vel in custodiae loca detrusos, vel rerum angustiis omneque genus aerumnis affectos.

Tum facere non potuimus quin, moerentem vocem attollentes Nostram, iniustam insectationem reprobaremus, Encyclica die XVIII mensis ianuarii, anno MCMLII data Epistula, cui a verbis *Cupimus imprimis* [3] initium est; qua quidem Epistula, pro veritate Nostrique officii conscientia monuimus Ecclesiam Catholicam a nullo terrarum orbis populo extraneam esse considerandam, nedum adversus quemquam hostilem; quin immo eam, materna tantum sollicitudine permotam, gentes omnes pari caritate amplecti, ac terrena non petere, sed ad caelestia assequenda civium omnium animos pro viribus adducere. Animadvertebamus praeterea Missionales nullius peculiaris nationis res gerere, sed, cum ex universis terrarum orbis partibus proficiscantur, et una divinaque caritate copulentur, nihil aliud exoptare et quaere, nisi Dei Regni fines propagare; quamobrem patet eorum operam non supervacaneam esse, non noxiam, sed beneficam et necessariam, cum sollerti Sinensium clero adiutricem praestet opem in christiani apostolatus campo.

Ac duos circiter post annos, hoc est die VII mensis octobris, anno MCMLIV, alia ad vos missa Encyclica Epistula, quae a verbis incipit *Ad Sinarum gentem* [4], ut incusationes refelleremus Sinensibus catholicis illatas, aperte pronuntiavimus chri-

---

[3] *A. A. S.*, XLIV (1952), pag. 153 sq.

[4] *A. A. S.*, XLVII (1955), pag. 5 sq.

stianos nullis prorsus cedere neque cedere posse in veri nominis fidelitate caritateque erga terrenam patriam. Et quandoquidem apud vos fallax propagabatur doctrina, quae a « Tribus Autonomiis » appellatur, Nos, pro universali quo divinitus fungimur magisterio, monuimus eandem doctrinam, prout ab eius fautoribus intellegitur, sive ad theoricam significationem quod attinet, sive ad consectaria, quae inde oriuntur, a nullo catholico probari posse, cum a necessaria unitate Ecclesiae avertat animos.

In praesens autem animadvertendum Nobis est Ecclesiam apud vos his elapsis annis ad deteriores etiam condiciones adductam esse. Utique vobis — idque Nobis inter tot tantaque tristia magnum solacium affert — in diuturnis insectationibus, quibus affecti estis, fides intrepida non defuit, neque caritas flagrantissima erga Divinum Redemptorem eiusque Ecclesiam remisit; quam quidem intrepidam fidem et flagrantissimam caritatem paene innumeris modis testati estis, quorum si parva tantum pars innotuit hominibus, omnium tamen praemium aliquando a Deo accipietis aeternum.

Verumtamen Nostri officii esse ducimus aperte declarare, summa cum trepidi animi aegritudine, res in peius apud vos insidioso molimine adhuc declinare, ita ut videatur falsa illa et a Nobis reprobata doctrina ad extremos iam exitus extremaque detrimenta adduci.

Etenim, callida sane agendi ratione, consociatio quaedam apud vos constituta est, cui a caritate erga patriam nomen inditum est et ad quam participandam catholici omni nisu compelluntur.

Huius vero consociationis est — quod pluries enuntiatum est — clerum et christifideles patriae religionisque amore eo consilio coniungere, ut patriam caritatem propagent, ut pacem inter populos provehant itemque ut iam invectum apud vos socialismi ordinem comprobent atque instruendum dilatandumque curent, utque rei publicae moderatores adiuvent in politica et religiosa libertate, quam vocant, data opera, tuenda. Attamen liquido patet consociationem eiusmodi, generalibus hisce de pace patriaque tutanda effatis, quae simplices homines in errorem inducere possunt, ad praestituta quaedam ac detrimentosa consilia in usum deducenda contendere.

Etenim, specie patriae caritatis, quae reapse fallax demonstratur, huius generis consociatio eo potissimum spectat ut catholici gradatim « materialismi » athei commenta amplectantur, quibus Deus ipse renuitur, religionisque principia respuuntur.

Specie tuendae pacis eadem consociatio falsas suspiciones criminationesque recipit et propagat, quibus e cleri ordine multi, ac venerandi etiam Antistites et ipsa Apostolica Sedes incusantur, quasi insana proposita dominandi in res terrenas admittant ac foveant, quasi acquiescenti vel volenti animo dent operam ad quaestum faciendum ex populo, quasi denique adversus Sinensium nationem ob praeiudicatas opiniones hostiliter se gerant.

Dum asseverant necessarium esse in religionis rebus libertatem omnimodis vigere, idque faciliores reddere mutuas inter ecclesiasticam et civilem potestatem rationes, revera tamen haec conso-

ciatio eo omnino spectat ut, sacris Ecclesiae iuribus posthabitis et neglectis, Ecclesia ipsa civilibus auctoritatibus subiugetur prorsus. Quam ad rem sodales omnes excitantur ut iniusta illa praescripta comprobent quibus Missionales eiciuntur extorres, et quibus Episcopi, sacerdotes, religiosi viri, sacrae virgines et christifideles non pauci detruduntur in carceres; itemque rationibus illis consentiant quibus tot legitimorum Pastorum iurisdictio pertinaciter praepeditur; utque praeterea improbanda principia defendant, quae Ecclesiae unitati, catholicitati, et hierarchicae constitutioni omnino repugnant; eaque incepta admittant, quibus cleri et christifidelium oboedientia, legitimis Antistitibus debita, subvertatur, atque catholicorum communitates ab Apostolica Sede disiungantur.

Quo autem expeditius haec nefasta principia propagentur omniumque inculcentur mentibus, haec consociatio, quae, ut diximus, patriae caritatis gloriatur nomine, variis opibus utitur, vi etiam et oppressione adhibita: hoc est scriptis prelo editis quam plurimis et quam loquacissimis; coetibus et congressibus, quos incitamentis, minis, atque fallaciis ii etiam participare coguntur, qui nolunt; et in quibus, si quis animosus veritatem tueri enititur, eius vox facile superatur et evincitur; eique infamiae nota inuritur utpote patriae novaeque societatis hosti.

Praeterea illa institutionis curricula memoranda sunt, quibus hanc fallacem doctrinam discipuli imbibere et amplecti coguntur; et ad quae sacerdotes, religiosi religiosaeque sodales, sacri seminarii alumni, et cuiusvis ordinis, cuiusvis aetatis

christifideles adeunda astringuntur; in iisque paene infinitis continuisque praelectionibus ac disceptationibus, per hebdomades et per menses habitis, mentis voluntatisque vires ita debilitantur et attonantur, ut psychica quadam vi assensus talis, qui fere nihil iam humani habeat, arripiatur, non autem, ut addecet, libere postuletur. Huc accedunt illae agendi rationes, quibus modis omnibus, privatim, palam, per insidiam, per dolum gravemque metum animi perturbantur; coactae « confessiones », quae dicuntur; custodiae loca, in quibus cives ad « novam educationem » amplectendam compelluntur; ac « popularia tribunalia » illa, ad quae iudicandi venerabiles etiam Episcopi ignominiose trahuntur.

Contra has agendi rationes, quae praecipua humanae personae iura violant, et sacram filiorum Dei libertatem proculcant, omnes ex quavis terrarum orbis parte christifideles, immo cordati omnes cohorrescentes facere non possunt quin una Nobiscum vocem attollant, qua laesam civium conscientiam deplorando conquerantur.

Et quandoquidem patriae caritatis nomine haec facinora perpetrantur, Nobis officium esse ducimus iterum in mentem revocare omnium Ecclesiam ipsam doctrina sua catholicos adhortari et commonere, ut nationem cuiusque propriam sincero vehementique amore diligant, ut eos, qui publica auctoritate praesunt, salvo iure divino naturali et positivo, observent, utque adiutricem actuosamque operam praestent, qua incepta omnia provehantur, quibus patria communitas pacifice ordinateque prosperitatem cotidie auctiorem et vera

suscipere incrementa queat. Numquam destitit Ecclesia suorum filiorum mentibus illud effatum inculcare, quod Divinus Redemptor edidit: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo » [5]; effatum dicimus, quod id ponit praeiudicatum et certum christianae religionis praecepta numquam veris patriae utilitatibus et commodis repugnare, numquam obstare posse.

Verumtamen asseverare etiam necesse est, si christiani ex officii conscientia debent Caesari, humanis nempe auctoritatibus, id reddere, quod ad easdem spectet, Caesarem quoque — hoc est eos qui publicae rei praesunt — obtemperationem civibus iubere non posse in iis rebus, quae ad Deum, non ad ipsos pertineant atque adeo non posse oboedientiam exigere, cum de usurpandis Dei iuribus agatur, vel cum christifideles a suis religionis officiis discrepare cogantur, et ab unitate Ecclesiae eiusque legitima hierarchia desciscere. Tum procul dubio singuli christiani serena fronte et firmissima voluntate ea verba repetant, quae Petrus ceterique Apostoli primis Ecclesiae insectatoribus responderunt: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » [6].

Inflato quodam dicendi genere ii, qui consociationem istam fovent ac provehunt, quae patriae caritatis nomen quasi sibi proprium usurpat, de pace iterum iterumque loquuntur, et catholicos vehementer admonent ut ad eam omni ope statuendam allaborent. Quae verba specie quidem optima sunt et iustissima: quis enim magis dilaudetur quam is,

---

5 *Luc.* XX, 25.

6 *Act.* V, 29.

qui paci instaurandae et stabiliendae iter paret? Pax tamen — quod probe nostis Venerabiles Fratres et dilecti filii — non verbis tantum innititur, non evanidis, quas temporum opportunitas suadeat, formulis utitur, a quibus incepta et gesta discordent, quae non ipsius pacis sensibus rationibusque conformentur, sed odio potius, discordia, simultateque animorum. Pax veri nominis iustitiae et caritatis principiis animetur oportet, quae Ille docuit « Princeps pacis »[7], qui hoc titulo quasi regali insigni se ornavit; pax veri nominis illa est, quam Ecclesia instaurandam exoptat, stabilem nempe, iustam, aequam, rectoque ordine compositam, quae cives, domesticos convictus ac populos — sartis tectisque uniuscuiusque imprimisque Supremi Numinis iuribus — mutui fraternique amoris et adiutricis operae vinculis coniungat omnes.

Hanc gentium omnium concordem convictionem pacifico prospiciens et exspectans animo, Ecclesia expetit, ut singulae nationes eum obtineant dignitatis gradum, qui eas addecet. Ecclesia enim, quae numquam non amicam intendit mentem in eventus casusque patriae vestrae, iam olim, per proximum Nostrum fel. rec. Decessorem locuta, exoptavit, ut « plane agnoscerentur desideria legitima et iura populi istius, numero maximi omnium, cuius humanus civilisque cultus ab antiquissima repetitur aetate, qui praeteritis saeculis, amplificatis rebus suis, interdum magnopere floruit, et quem futuris etiam temporibus plurimum valiturum es-

---

[7] *Is.* IX, 6.

se conici licet, dummodo iustitiam et honestum persequatur » [8].

Contra, quemadmodum radiophonii ope et per typis edita scripta allatum est, non desunt ac quidem, pro dolor, etiam inter sacrorum administros, qui suspicionem in Sedem Apostolicam conferre audeant, eamque insimulare, quod patriae vestrae sit malevola.

Hoc sibi falso et iniuriose statuentes, non verentur imprimis auctoritatem supremi Ecclesiae Magisterii ad suum arbitrium intra artiores coercere fines, nonnullas quaestiones esse dictitantes, velut eas, quae in re sociali et oeconomica versentur, in quibus catholicis liceat doctrinas normasque ab hac Apostolica Sede impertitas praetermittere. Quae opinio — re vera supervacaneum esse videtur id confirmare — omnino falsa est plenaque erroris, quia, ut aliquot ante annos ad lectissimum Venerabilium Fratrum Episcoporum coetum diximus, « Ecclesiae potestas nequaquam " rerum stricte religiosarum ", uti loqui solent, finibus continetur, sed tota quoque legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in eius sunt potestate. Observatio enim legis naturae ex Dei ordinatione spectat ad viam, qua homo ad finem suum supra naturam tendere debet. Iam vero Ecclesia est hac in via, ad finem quod attinet supra natu-

---

8 Cfr. nuntium a Pio XI Pont. Max. ad Delegatum Apostolicum in Sinis die 1 mensis augusti 1928 datum; *A. A. S.*, XX (1928), pag. 245.

ram, hominum dux et custos »[9]. Quam veritatem sapienter iam explanavit S. Pius X, Decessor Noster, Encyclicis Litteris *Singulari quadam*, die XXIV mensis septembris anno MDCCCCXII datis, in quibus asseveravit « omnes ... actiones eius (hominis christiani), quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subesse »[10].

Praeterea, finibus hisce artis ex arbitrio constitutis enuntiatisque, iidem, cum confiteantur verbis se Romano Pontifici parere velle quod ad veritates credendas et ad normas ecclesiasticas, uti appellant, servandas attineat, eo tamen procedunt audaciae, ut certis ac definitis Apostolicae Sedis praescriptis et ordinationibus oboedire recusent, quae simulata auctoris mente rem politicam spectare iactant, quasi ex occulta quadam coniuratione contra nationem ipsorum profecta.

Huius ab Ecclesia defectionis signum, rem sane gravissimam, quae animum Nostrum ut Patris et universalis fidelium Pastoris maestitia opplet inenarrabili atque ingenti, hoc loco memorare Nos oportet. Ii enim, qui patriae studiosissimos se ferunt, nonnihil iam temporis impense student in vulgus efferre mentitum ius, quo polleant catholici, sua sponte eligendi Episcopos, huiusmodi electioni praetendentes necessitatem consulendi qua par est cum festinatione bono animarum, ac regimen

---

9 Sermo ad Patrum Cardinalium Collegium et Episcopatum die 2 mensis novembris anno 1954 habitus; cfr. *A. A. S.*, XLVI (1954), pag. 671-672.

10 *A. A. S.*, IV (1912), pag. 658.

dioecesium iis credendi pastoribus, qui, utpote communistarum placitis eorumque artis politicae rationi non obsistentes, apud civiles potestates accepti sint.

Quin immo, non paucas huiusmodi electiones contra ius fasque iam habitas esse accepimus ac praeterea, neglecto aperto severoque monito, quod Apostolica haec Sedes iis, ad quos pertineret, adhibuisset, episcopalem consecrationem nonnullis viris ecclesiasticis temerario ausu collatam esse.

Cum igitur tam gravia facinora contra disciplinam et unitatem Ecclesiae committantur, omnes pro officii Nostri conscientia commonere debemus hoc a doctrina et a principiis prorsus discrepare, quibus conformatio Societatis a Iesu Christo Domino Nostro divinitus institutae innititur.

Sacris enim canonibus dilucide et expresse sancitum est, ut ad unam Sedem Apostolicam pertineat iudicare, num quis ad dignitatem et munus Episcopi idoneus sit [11], utque Romani Pontificis sit Episcopos libere nominare [12]. Quodsi, quemadmodum interdum usu venit, aliis personis aut collegiis licet in electionem alicuius candidati episcopalis se aliquo modo interponere, hoc legitime dumtaxat fit, si Apostolica Sedes expressis verbis ac singillatim certis et definitis personis aut collegiis id concesserit, condicionibus rerumque adiunctis planissime constitutis. Hoc posito, efficitur, ut Episcopi nec nominati nec confirmati a Sede Apostolica, immo contra expressas eius ordinationes electi et con-

---

11 Can. 331 § 3.

12 Can. 329 § 2.

secrati, nulla fruantur potestate magisterii et iurisdictionis, cum iurisdictio Episcopis per unum Romanum Pontificem obtingat, quemadmodum in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* hisce verbis monuimus: « Sacrorum Antistites ... ad propriam cuiusque Dioecesim quod spectat, utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt ac regunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita » [13]. Quam docrtinam, datis postea ad vos Litteris *Ad Sinarum gentem,* iterum memoravimus: « Iurisdictionis potestas, quae Summo Pontifici iure ipso divino directe confertur, Episcopis ex eodem provenit iure, at nonnisi per Petri Successorem, cui quidem non tantum christifideles, sed Episcopi etiam omnes et obedientiae obsequio et unitatis vinculo constanter subici et adhaerere tenentur » [14].

Actus vero, ad potestatem sacri Ordinis pertinentes, ab huiuscemodi viris ecclesiasticis patrati, etiamsi validi sunt, dummodo valida fuerit consecratio ipsis collata, sunt tamen graviter illiciti, id est flagitiosi et sacrilegi. Quam in rem peropportune cadunt monitoria verba Domini Magistri: « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro » [15]; veri qui-

---

[13] Litt. Enc. *Mystici Corporis,* diei 29 mensis iunii 1943; *A. A. S.,* XXXV (1943), pag. 211-212.

[14] Ep. Enc. *Ad Sinarum Gentem,* diei 7 mensis octobris 1954; *A. A. S.,* XLVII (1955), pag. 9.

[15] *Ioann.* X, 1.

dem pastoris sui oves noscitant vocem, « alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum »[16].

Nequaquam Nos latet, eos, qui ita detrectant oboedientiam, ut de iniuste sibi, pro dolor, sumptis muneribus semetipsos purgent, usum in medium proferre, qui prioribus saeculis invaluerit; attamen non est qui non videat ecclesiasticam disciplinam praecipitem ire, si in qualibet re cuique liceat in usum reducere ordinationes, quae iam non vigeant, cum suprema Ecclesiae auctoritas iamdiu aliud decreverit. Quin etiam, eo quod ad aliam provocant disciplinam, minime de suo agendi modo se excusant, sed argumentum praebent, quo innotescit eos id sequi, ut disciplinam, quae nunc viget et cui uni parere debent, consulto defugiant; disciplinam dicimus, quae non solum pro Sinis ac regionibus Evangelii lumine recens collustratis, sed pro tota constituta est Ecclesia; quae vi potestatis illius universalis et supremae pascendi, regendi, gubernandi sancita est, quam Dominus Noster Petri Apostoli in munere Successoribus tribuit. Pernota sunt ea, quae Concilium Vaticanum sollemniter definivit: « Apertis innixi sacrarum Litterarum testimoniis, et inhaerentes tum praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est " Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere prima-

---

16 *Ibid.* X, 5.

tum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse"... Docemus... et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque oboedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest » [17].

Ex iis, quae exposuimus, sequitur, ut nulla prorsus auctoritas, praeter eam, quae Supremi Pastoris propria est, institutionem canonicam alicui Episcopo concessam possit irritam efficere; ut nulla persona nullusve coetus sive sacerdotum sive laicorum ius sibi queat arrogare Episcopos nominandi; ut nemo consecrationem episcopalem va-

---

[17] Conc. Vat., Sess. IV, cap. 3; Coll. Lac., VII, pag. 484.

leat legitime conferre, nisi prius de pontificio mandato constiterit[18]. Itaque, si huiusmodi consecratio contra ius fasque impertitur, quo facinore gravissime petitur ipsa unitas Ecclesiae, statuta est excommunicatio *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata, in quam ipso facto incurrit qui consecrationem ex arbitrio collatam recipit, atque etiam consecrans ipse[19].

Quid denique sentiendum de causa a sodalibus consociationis patriae falso amore studentium interserta, quod sibi ita, quemadmodum perhibent, agendum sit propter necessitatem curae animarum prospiciendi iis in dioecesibus, quae praesente Episcopo suo orbatae sint?

Liquet imprimis spirituali commodo christifidelium nequaquam consuli, si leges Ecclesiae violantur; deinde non agi, uti defendere volunt, de dioecesibus vacantibus, sed saepe de sedibus episcopalibus, quarum legitimi Praesules aut deturbati sunt, aut in carcere tabescunt, aut variis modis praepediuntur, ne iurisdictionis potestatem libere exerceant; itidem praeterea, in carcerem dati sunt aut expulsi vel quovis modo remoti ii etiam viri ecclesiastici, quos legitimi Pastores e iuris canonici praescripto et e peculiaribus Apostolicae Sedis mandatis designaverant, ut in regendis dioecesibus ipsorum vice fungerentur.

Luctuosum sane quod, dum sacri Pastores, animarum studio praestantes tot sustinent aerumnas, ex eorum doloribus arripiatur occasio ut falsi pa-

---

18 Can. 953.

19 Cfr. Decretum Supr. S. Congr. S. Officii, diei 9 mensis aprilis 1951; *A. A. S.*, XLIII (1951), pag. 217-218.

stores eorum in locum substituantur, ut hierarchicus Ecclesiae ordo evertatur, atque Romani Pontificis auctoritati seditiose obsistatur.

Atque eo nonnulli progressi sunt arrogantiae, ut culpam rerum tam miserarum tamque lacrimabilium, quae e certo consilio Ecclesiae vexatorum exortae sunt, in ipsam transferant Sedem Apostolicam, cum neminem fugiat hanc, eo quod impediatur quominus libere ac tuto cum Sinarum dioecesibus communicet, non potuisse neque etiamnum posse, quotiescumque res postulet, aequa ratione de eligendis candidatis idoneis ad episcopalem dignitatem cognoscere; quae cognitio omnino necessaria est, sive ad vestram attinet nationem sive ad quamvis aliam gentem.

Venerabiles Fratres ac dilecti filii! Hactenus vobis ediximus, quanta urgeamur sollicitudine propter errores, quos apud vos quidam inducere contendunt, ac discordias, quae concitantur, ut Patris communis illuminati et confirmati hortamento, intrepidi et intaminati perstetis in fide, qua omnes coniungimur, qua una adipiscemur salutem.

Nunc autem, erumpentis animi impetum secutis enuntiare Nobis liceat, quam arta quamque singulari vos necessitudine attingamus. Obversantur menti Nostrae cruciatus, quibus sive corpora sive animi vestri divexantur, maxime ii, quos Christi testes fortissimi tolerant; quorum in numero non desunt nonnulli Venerabiles Fratres Nostri in Episcopatu. Horum omnium aerumnas cotidie Nos Divino Redemptori in ara offerimus, una cum precibus ac doloribus totius Ecclesiae.

Firmi estote eique fidite secundum illud : « Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis » [20]. Ipse angores ac tormenta pervidet vestra; ipse imprimis animi maerorem acceptum habet et lacrimas, quas multi e vobis, tam Pastores quam sacerdotes, religiosi sodales et fideles e laicorum ordine, occulto effundunt, dum nisus aspiciunt eorum, qui coetus christianos vestros subvertere conantur. Hae lacrimae, hae afflictationes, una cum cruciatibus et sanguine Martyrum qui fuerunt et nunc sunt, veluti pretiosa pignora, efficient, ut Ecclesia in patria vestra potentissimo interposito patrocinio Deiparae Virginis Mariae, Sinarum Reginae, tandem aliquando revirescat, ac mitescente saeculo laetiores ei dies illucescant.

Hac spe erecti, cum vobis tum gregibus curae vestrae commissis Benedictionem Apostolicam, supernorum munerum auspicem ac peculiari benevolentiae Nostrae testem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXIX mensis iunii, in festo Apostolorum Petri et Pauli, anno MDCCCCLCIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

PIUS PP. XII

---

20 *I Petr.* V, 7.

16 - NUNTII RADIOPHONICI

(AAS. L [19 Sept. 1958] pp. 562-591)

I

MONIALIBUS UNIVERSIS CLAUSURA ADSTRICTIS DATUS. *

Cédant volontiers à vos instances, Nous sommes heureux, chères filles, d'adresser aujourd'hui la parole à toutes les Moniales du monde catholique et de leur parler du sujet qui leur tient le plus à cœur : leur vocation à la vie contemplative.

Tant de fois, peut-être, vous avez envié le bonheur des pèlerins, qui se pressaient dans l'ample vaisseau de la Basilique Saint-Pierre ou dans les salles du Vatican, pour Nous manifester leur fierté d'appartenir à l'Eglise catholique romaine et leur joie d'accueillir la parole de son Chef. Maintenant, Nous évoquons vos trois mille deux cents monastères, dispersés dans le monde entier et, dans chacun d'eux, vos groupes recueillis, audience invisible et silencieuse, mais toute vibrante de la charité qui vous unit. Comment ne seriez-vous pas présentes à Notre pensée et à Notre cœur, vous qui constituez dans l'Eglise une part choisie et appelée à participer plus étroitement au mystère de la Rédemption? C'est donc avec toute Notre affection paternelle,

---

* I. Die 19 Julii mensis a. 1958.
II. Die 25 Julii mensis a. 1958.
III. Die 2 Augusti mensis a. 1958.

que Nous voudrions vous entretenir de votre vie religieuse, identique pour toutes dans ses éléments essentiels, mais prenant, dans les différents Ordres, des aspects variés suivant l'inspiration des fondateurs et les circonstances historiques que leur œuvre a traversées.

La vie contemplative canonique est un chemin vers Dieu, une montée souvent austère et rude, mais où le labeur quotidien, appuyé sur les promesses divines, s'illumine déjà de la possession, obscure encore mais certaine, de Celui vers qui vous tendez de toutes vos forces, Dieu. Pour mieux répondre à votre vocation, vous attendez de Nous les paroles qui vous aideront à la comprendre davantage, à l'aimer d'un amour plus pur et plus généreux, à la réaliser plus parfaitement dans le détail de vos activités.

Cette montée vers Dieu n'est pas le simple mouvement de la création inanimée, ni le seul élan des êtres doués de raison, qui le reconnaissent pour leur Créateur et l'adorent comme l'Etre infini, qui transcende sans mesure tout ce qui existe de grand, de vrai, de beau et de bon [1]. C'est plus que l'ascension de la vie chrétienne ordinaire, ou même que la tendance à la perfection en général; c'est un idéal de vie fixé par les lois de l'Eglise, et qui s'appelle pour cela vie contemplative canonique. Cependant, loin de ne réaliser qu'un type rigidement déterminé, elle revêt des formes variées suivant le caractère et les traits propres aux diverses familles contemplatives, telles, parmi les Ordres féminins, les

---

1 Cfr. *Conc. Vatic.*, sess. III, cap. 1; Denz. n. 1782.

Carmélites, les Clarisses, les Cisterciennes, les Chartreuses, les Bénédictines, les Dominicaines, les Ursulines, les Visitandines ... Cette vie contemplative, diversifiée suivant les familles religieuses — et même, en chacune d'elles, suivant les sujets — est un chemin qui conduit vers Dieu; c'est Dieu, qui en constitue le principe et la fin, qui en soutient l'élan et qui la remplit toute.

I

Connaître la vie contemplative

La connaissance de la vie contemplative comme voie conduisant à Dieu.

Nous voulons d'abord vous parler de la connaissance de la vie contemplative, comme voie conduisant à Dieu. Pour vivre en plénitude l'idéal que vous vous proposez, il importe que vous sachiez ce que vous êtes et ce que vous poursuivez.

La constitution Apostolique « *Sponsa Christi* », du 1er novembre 1950, renferme dans sa première partie [2] un exposé de l'état des « vierges consacrées à Dieu » depuis les origines du christianisme jusqu'aux formes récentes de l'institution des Moniales. Sans répéter ce que Nous écrivions alors, Nous attirons votre attention sur l'intérêt que présente pour vous la connaissance, au moins sommaire, de l'évolution de la vie religieuse féminine et des différents aspects qu'elle prit au cours des temps.

---

[2] *A. A. S.*, a. 43, 1951, p. 5-10.

Ainsi serez-vous mieux à même d'apprécier la dignité de votre état, l'originalité de l'Ordre auquel vous appartenez et ses attaches à toute la tradition catholique.

Quelques principes généraux sur la nature de la vie contemplative.

Nous Nous arrêterons uniquement ici aux principes généraux, qui permettent de préciser, au regard des autres genres de vie, la nature de celle que vous menez. Arrêtons-Nous pour cela à la doctrine si sobre et si ferme de saint Thomas. Selon ce Maître de la théologie catholique, l'activité humaine peut se distinguer en vie active et vie contemplative, de la même manière que l'intelligence, qui constitue le propre de l'homme, peut être considérée sous deux aspects, actif ou passif. Elle est ordonnée en effet soit à la connaissance de la vérité, oeuvre de l'intelligence contemplative, soit à l'action extérieure, qui relève de l'intellect pratique ou actif [3]. Mais pour saint Thomas la vie contemplative, loin de se resserrer dans un intellectualisme sans âme et borné à la spéculation abstraite, met aussi en jeu l'affectivité, le coeur. Et il en voit le motif dans la nature même de l'homme; car c'est la volonté qui fait agir les autres facultés humaines; c'est elle donc qui poussera l'intelligence à poser ses actes. La volonté appartient au domaine de l'affectivité; aussi est-ce l'amour qui meut l'intelligence dans son exercice: qu'il soit amour de la connaissance elle-même, ou amour de

---

[3] *S. Th.* 2a 2ae p. q. 179, a. 1 ad 2; a. 2 in c.

la chose connue. Citant un texte de saint Grégoire, saint Thomas montre le rôle de l'amour de Dieu dans la vie contemplative: « in quantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad eius pulchritudinem conspiciendam » : « en tant que, par amour de Dieu, l'on s'enflamme du désir de contempler sa beauté ». L'amour de Dieu que saint Thomas place au principe de la contemplation, il le met aussi en son terme: elle s'achève dans la joie et le repos qu'elle goûte, lorsqu'elle possède l'objet aimé [4]. Ainsi la vie contemplative est-elle pénétrée tout entière de la charité divine, qui inspire ses démarches et récompense ses efforts.

L'objet de la contemplation, pour saint Thomas, c'est principalement la vérité divine, fin dernière de toute la vie humaine; comme dispositions préparatoires, elle requiert dans le sujet l'exercice des vertus morales; dans ses progrès, elle se sert des autres actes de l'intelligence; avant d'arriver au terme de ses recherches, elle prend appui sur les oeuvres visibles de la création, reflet des réalités invisibles [5]; mais sa perfection ultime, elle ne la trouve que dans la contemplation de la vérité divine, béatitude suprême de l'esprit humain [6]. Que d'incompréhensions, d'étroitesses de vues, de jugements erronés on éviterait, si, lorqu'on parle de la vie contemplative, on prenait soin de rappeler la doctrine du Docteur Angélique, dont Nous venons d'évoquer les traits essentiels.

---

[4] *S. Th.* 2a 2ae p. q. 180, a. 1 in c.
[5] Cfr. *Rom.* 1, 20.
[6] *S. Th.* 2a 2ae p. q. 180, a. 4 in c.

La nature de la vie contemplative selon la Constitution « Sponsa Christi »

Nous devons maintenant déterminer en quoi consiste la vie contemplative canonique, que vous pratiquez. Nous en prenons la définition dans la Constitution Apostolique: « *Sponsa Christi* », à l'article 2, § 2, des « *statuts généraux des moniales* »: « Sous le nom de vie contemplative canonique, on entend non pas cette vie intérieure et théologale, à laquelle toutes les âmes vivant en religion, et même dans le monde, sont appelées et que chacune peut mener partout en soi-même; mais la profession externe de vie religieuse, qui, soit par la clôture, soit par les exercices de piété, d'oraison et de mortification, soit enfin par les travaux auxquels les Moniales doivent vaquer, est ordonnée à la contemplation intérieure de telle sorte que toute la vie et toute l'activité puissent facilement et doivent efficacement être pénétrées de sa recherche » [7]. Les articles suivants énumèrent une série d'autres éléments de l'état des moniales: les voeux solennels de religion, la clôture pontificale, l'office divin, l'autonomie des monastères de moniales, la fédération et la confédération des monastères, le travail monastique et enfin l'apostolat. Notre intention n'est pas de détailler chacun de ces points, mais de faire une brève exégèse de la définition citée plus haut.

[7] *A. A. S.*, l. c. p. 15-16.

Ce que la vie contemplative n'est pas

Précisons d'abord ce que la vie contemplative canonique n'est pas. Elle n'est pas, dit le texte, « cette vie intérieure et théologale, à laquelle toutes les âmes vivant en religion, et même dans le monde, sont appelées et que chacune peut mener partout en soi-même »[8].

La Constitution « *Sponsa Christi* » n'ajoute à cette partie négative aucune distinction ultérieure : elle fait entendre clairement qu'elle ne traitera pas cet aspect de la vie religieuse et qu'elle ne s'adresse donc pas à ceux qui le pratiquent exclusivement. Elle précise d'ailleurs que tous y sont invités par le Christ, même ceux qui vivent dans le monde, donc quel que soit l'état auquel ils appartiennent, fussens-ils mariés. Mais, parce qu'elle n'en parle pas, Nous voudrions signaler l'existence d'une forme de vie contemplative pratiquée en secret par un petit nombre de personnes qui vivent dans le monde. Dans Notre Allocution du 9 décembre 1957 au II[e] Congrès International des Etats de perfection[9], Nous disions qu'on trouve aujourd'hui des chrétiens qui « s'engagent à la pratique des conseils évangéliques par des voeux privés et secrets, connus de Dieu seul, et se font guider, pour ce qui regarde la soumission de l'obéissance et de la pauvreté, par des personnes, que l'Eglise a jugées aptes à cette fin, et à qui elle a confié la charge de diriger les autres dans l'exercice de la perfection ».

---

8 l. c., p. 15.

9 *A. A. S.*, a. 50, 1953, pag. 34-43.

Elles mènent une vie de perfection chrétienne authentique, mais en dehors de toute forme canonique des « Etats de perfection ». Et Nous formulions Notre conclusion en ces termes : « Aucun des éléments constitutifs de la perfection chrétienne et d'une tendance effective à son acquisition ne fait défaut chez ces hommes et ces femmes ; ils y participent donc vraiment, bien qu'ils ne soient engagés dans aucun état juridique ou canonique de perfection »[10]. Cette constatation, Nous pouvons la renouveler maintenant au sujet d'un genre de vie, où l'on tend à la perfection par les trois voeux et d'une manière privée, indépendante des formes canoniques prévues dans la Constitution Apostolique « *Sponsa Christi* », mais dans la vie contemplative. Les conditions extérieures nécessaires a ce genre de vie sont plus difficiles sans doute à réaliser que pour la vie active, mais toutefois il est possible de les rencontrer. Ces personnes ne sont protégées par aucune clôture canonique et pratiquent la solitude et le recueillement d'une manière héroique. Nous en trouvons dans l'Evangile de saint Luc un bel exemple : celui de la prophétesse Anne, veuve après sept ans de mariage, et qui s'était retirée dans le Temple, où elle servait le Seigneur nuit et jour, dans la prière et le jeûne[11]. Une telle forme privée de la vie contemplative n'est pas ignorée de l'Eglise, qui lui accorde son approbation de principe.

---

10 *Ibid.*, p. 36.

11 Luc. 2, 37.

Primauté de la contemplation dans la vie contemplative canonique

chacun s'efforce de mettre en valeur ce qu'il possède de meilleur et de plus original, suggère et symbolise en quelque sorte les lignes maîtresses de vos réflexions. Au cours de ces dernières années, la profession médicale et toutes celles qui, avec elle, assument la protection de la santé, ont tiré parti des progrès rapides de la science et de ses applications et participé à l'évolutions des institutions sociales. La fondation et le développement de vos diverses Fédérations répondent au besoin de conjuguer les efforts des catholiques dans un secteur si important. Rien d'étonnant si, dans le thème général de la Conférence: « Christianisme et Santé » s'insère l'étude de la collaboration dans l'équipe sanitaire et dans la communauté des responsables de la santé. Nous souhaitons le meilleur succès au 8e Congrès des Médecins catholiques, au 5e Congrès de la Fédération internationale des Pharmaciens catholiques, au 6e Congrès du Comité international catholique des Infirmières et Assistantes médico-sociales, au 1er Congrès de la Fédération internationale des Institutions hospitalières, ainsi qu'au 4e Congrès internationale des Aumôniers d'hôpitaux.

Même si vos travaux n'embrassent qu'une partie de la matière si vaste que vous vous proposez d'examiner, le seul fait d'avoir tenté cette confrontation marquera une étape importante dans l'action sanitaire des catholiques. Vous prenez en effet maintenant conscience des dimensions réelles de votre communauté et de l'étendue de ses responsabilités sur le plan humain, comme sur le plan religieux.

On pouvait jadis entreprendre l'étude de la morale médicale, en n'accordant qu'un regard rapide à tout ce qui dépasse les relations individuelles du malade avec le médecin ou avec l'infirmière. Le développement considérable des services hospitaliers, la spécialisation croissante des techniques de soins, l'existence de puissantes institutions d'assistance sociale, l'appel des pays sous-développés; voilà autant de facteurs, qui ont élargi considérablement les perspectives anciennes et requièrent une mise au point et un approfondissement du sens des « relations humaines » entre le malade et sa famille d'une part, les responsables de la santé et les organismes sociaux d'autre part.

Nous voudrions, en guise d'introduction à vos travaux, évoquer brièvement d'abord les obstacles à la collaboration, puis les conditions d'une collaboration efficace, et enfin les objectifs qu'elle doit se proposer, en particulier, chez les catholiques.

Les défauts qui empêchent une collaboration harmonieuse dans l'équipe sanitaire peuvent venir, soit de ses membres eux-mêmes, soit du malade et de sa famille, soit des institutions dont dépendent les uns et les autres. Nous n'avons pas l'intention d'analyser en détail les situation concrètes, dans lesquelles ces inconvénients apparaissent; vos congrès furent préparés par des enquêtes destinées précisément à les relever. Mais, Nous bornant aux causes qui entravent la collaboration chez le personnel sanitaire lui-même, Nous voudrions en signaler deux principales, l'une d'ordre intellectuel, l'autre d'ordre moral. Le plus souvent une certaine étroitesse du jugement, qui, volontai-

rement ou non, refuse d'élargir ses horizons, de tenir compte de tous les éléments d'une situation, empêche l'intéressé d'apercevoir les insuffisances de son action personnelle et la nécessité d'accepter l'intervention d'autrui. Il est difficile en général d'adopter le point de vue des autres, de regarder les événements comme ils les regardent, de ressentir comme eux les inconvénients de tel procédé, de telle attitude, le poids de certaines prestations; il n'est pas aisé non plus d'admettre qu'un plus jeune, malgré sa moindre expérience, puisse avoir des idées plus fécondes. En outre, les habitudes de travail et les routines rendent pénible toute tentative de changement, toute révision de méthode. Vous signalez, par exemple, qu'une infirmière sera tentée de marquer des réserves, lorsqu'elle voit appliquer dans un hôpital un traitement différent de celui qu'elle a vu pratiquer au cours de ses études par tel grand spécialiste. A côté des obstacles intellectuels, les obstacles moraux tiennent aussi une large place. L'esprit de dévouement et de sacrifice dans l'équipe sanitaire constitue l'un de ses plus beaux titres à la reconnaissance et à l'admiration de tous. Mais qui oserait prétendre que, dans le détail des allées et venues de chaque jour, n'interviennent jamais des mobiles, qui trahissent les faiblesses communes de l'humanité: susceptibilité, impatience, désir de prévaloir, intolérance de la discipline, bref, l'affirmation exagérée de l'individu et de ses commodités au détriment des exigences posées par la cohésion du groupe et des intérêts de la communauté.

Ainsi sommes-Nous amené à considérer les

conditions positives d'une collaboration efficace. Puisque certains défauts d'appréciation, peut-être inaperçus d'ailleurs, proviennent de l'ignorance au moins pratique des principes essentiels de la collaboration, il importe de mettre ceux-ci en lumière et d'en faire une étude plus approfondie. C'est l'objet de vos divers Congrès. La complexité croissante de l'organisation sanitaire, rançon d'un progrès incessant, entraîne la nécessité pour chacun de ses membres de mieux définir sa position dans l'ensemble dont il fait partie. Ainsi, Nous trouvons parmi les travaux préliminaires de la commission technique du congrès des infirmères et assistantes médico-sociales, une élaboration détaillée de la notion d'« équipe sanitaire », suivant quatre plans : celui des soins aux malades, en établissement hospitalier ou à domicile, celui des services médico-sociaux locaux ou centraux, celui de la nation et de l'administration de la santé publique, et enfin le secteur spécialisé dans la lutte contre certains fléaux propres à un pays ou à une région. Pour chacun de ces cas, il faut déterminer quelles sont les formes d'équipes sanitaires existant en fait, leur but, leurs moyens d'action, leur autorité, leur composition. Ce cadre ainsi délimité permet de mieux préciser la place, qu'y tiendra l'infirmière, et les conditions auxquelles elle devra satisfaire pour bien y remplir son rôle. Les médecins de leur côté s'appliqueront aux problèmes de collaboration rencontrés dans la pratique quotidienne et dans les institutions de soins, où ils entrent en contact non seulement avec les malades et les infirmières, mais encore avec les aumôniers, les services ad-

ministratifs, le personnel subalterne, les familles des malades, les organismes d'assurance sociale et les pouvoirs publics. Vous aurez la préoccupation constante de résoudre chacune de ces questions, sans jamais oublier la perspective d'ensemble qui commande les solutions particulières, c'est-à-dire, le but thérapeutique tant individuel que sociale, inséparable lui-même des impératifs moraux et religieux dont l'Eglise se fait l'interprète.

Le travail de réflexion et d'examen des problèmes portera peu de fruits, s'il n'aboutit sur le plan pratique à une meilleure organisation de l'équipe sanitaire, créant entre ses membres une véritable unité, quant aux principes à suivre et aux moyens concrets de les appliquer. Pour cela il ne suffit pas de se rencontrer au chevet du malade; il faut encore savoir se retrouver entre soi, se ménager des échanges d'idées fréquents et cordiaux, mettre en commun ses difficultés techniques ou psychologiques. Il importe aussi qu'une hiérarchie des fonctions détermine l'autorité et la responsabilité de chacun. Une discipline de groupe paraît indispensable — quelle que soit la manière dont on l'entende —, mais elle ne sera acceptée et ne portera des fruits que dans la mesure où elle se soutiendra dans une ferveur commune, où elle guidera les énergies de chacun vers la réalisation d'un idéal, que poursuivraient vainement des efforts isolés.

C'est pourquoi, Nous voulons évoquer encore les objectifs essentiels, que se proposent d'atteindre les responsables de la santé par leur collaboration. Le but qui unifie leur activité, c'est évi-

demment la préservation ou le rétablissement de la santé des individus et des groupes sociaux. Toutefois il n'est pas rare que d'autres fins secondaires, plus proches, plus attirantes, plus utiles immédiatement, peut-être, sollicitent leur intérêt et fassent s'estomper pour quelque temps la prépondérance de la fin principale. Vous n'ignorez pas la possibilité de voir le malade traité, non comme une personne, mais comme un cas, que l'on étudie ou sur lequel on expérimente. Il arrive que des investigations dangereuses soient entreprises pour parfaire le diagnostic, alors qu'elles n'auront pas d'utilité réelle pour l'application du traitement, ou que le malade subisse les conséquences fâcheuses de mesures administratives visant à assurer d'abord la commodité des services. En ces cas l'élément humain, personnel, est relégué au second plan, malgré son importance déterminante.

Ces écueils vous sont suffisamment connus et Nous-même les avons évoqués ailleurs. Nous n'insistons donc pas, mais voudrions souligner encore la caractéristique la plus haute, la plus noble de votre action thérapeutique, celle que manifeste votre Conférence actuelle par son titre de « catholique ». N'y voyez point une simple dénomination extrinsèque, sans influence sur l'objet propre de vos travaux, comme si le catholicisme n'avait à proposer à ses adhérents qu'un code de déontologie perfectionné, une liste minutieuse d'actions permises ou défendues. Il s'agit en réalité de bien autre chose. Les chrétiens en effet sont porteurs d'un message et d'une vie, qui confèrent à chacune de leurs démarches un sens particulier. Leur ca-

ractère de baptisés les fait disciples du Christ et fils de l'Eglise dans l'œuvre de laquelle ils sont engagés. C'est pourquoi votre travail quotidien, le plus routinier en apparence, ne prend tout son sens que dans la perspective ouverte par le Seigneur aux jours de son existence terrestre: « Le soir venu », raconte saint Marc, « après le coucher du soleil, on lui amenait tous les malades et les possédés, et la ville entière était rassemblée devant la porte. Et il guérit beaucoup de malades affligés de divers maux et il chassa beaucoup de démons » [1].

A l'imitation du Christ, qui soulageait tant de misères physiques et morales pour inviter les hommes à reconnaître en Lui « la résurrection et la vie » [2], que l'on devine à travers vos gestes l'inspiration dont ils procèdent, votre rattachement à l'Eglise visible et à l'Esprit-Saint, qui l'anime comme une « source d'eau jaillissant pour la vie éternelle » [3].

Pénétrée d'esprit évangélique, votre activité acquerra aussi une extension plus large et vraiment universelle. Il faut le souligner, puisque votre Congrès se situe dans le cadre d'une manifestation, qui veut exprimer les plus nobles aspirations du monde actuel et qui invite à des rapprochements stimulants. Nul ne possède l'esprit du Christ sans partager les soucis de tous ses frères, où qu'ils habitent, de quelque race qu'ils soient, ni sans désirer ardemment leur prodiguer au maximum les bienfaits réservés encore à certains pays

---

[1] Marc. 1, 32.
[2] Io. 11, 25.
[3] Cfr. Io. 4, 14.

privilégiés. A côté de besoins économiques aigus, les pays sous-développés présentent le plus souvent au point de vue sanitaire de cruelles déficiences. Vous savez avec quel zèle, partout où ils sont présents, et principalement dans les territoires les plus démunis, les catholiques s'emploient à soigner les malades dans les hôpitaux, cliniques, dispensaires, maternités; mais comme il reste encore beaucoup à faire avant que ne soient maîtrisés complètement les problèmes de la santé publique, vos organisations internationales trouvent ici un champ largement ouvert à leurs efforts; elles ont entre autres à susciter la collaboration des membres du personnel médical, des particuliers, des organismes privés, de l'Etat, pour arrêter au plus tôt les maladies épidémiques et endémiques, qui chaque année frappent tant de victimes impuissantes.

Nous vous souhaitons, chers fils et chères filles, d'éprouver, pendant ces journées d'étude, de réflexion, d'échanges amicaux, le sentiment de ne former au sein de l'Eglise catholique, qu'une même famille unie par l'intérêt commun pour les problèmes sanitaires, et davantage encore par la conscience d'avoir à remplir une mission importante au service de l'Eglise: celle de parfaire l'édification du Corps du Christ [4], en protégeant des tâches que le Seigneur leur confie et découvrir par vous l'un des aspects les plus consolants de la Rédemption.

En témoignage de Notre estime et de Notre

---

[4] Cfr. *Eph.* 4, 12.

affection, et comme gage des faveurs divines que Nous appelons sur vous, sur vos familles, sur les malades, auxquels vous prodiguez vos soins et votre dévouement, Nous vous accordons de grand cœur Notre Bénédiction Apostolique.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Suprema Sacra Congregatio S. Officii

17 - MONITUM

(AAS. L [21 aug. 1958] p. 536)

Supremae huic Sacrae Congregationi compertum est in translatione quadam in vulgarem sermonem Novi Ordinis Maioris Hebdomadae omissa esse verba « Mysterium Fidei » in forma consecrationis Calicis. Insuper relatum est quosdam Sacerdotes eadem verba in ipsa Missa celebranda omittere.

Quare haec Suprema Congregaito monet nefas esse in rem tam sanctam immutationes inducere et editiones librorum liturgicorum mutilare vel interpolare (cfr. can. 1399, 10°).

Curent igitur Episcopi, ad mentem Commonitionis S. Officii diei XIV Februarii MCMLVIII, ut praescripta sacrorum canonum de cultu divino stricte serventur atque sedulo advigilent ne quis audeat immutationem vel minimam in materiam et formam Sacramentorum inducere.

Datum Roma, ex Aedibus S. Officii, die XXIV Iulii mensis anno MCMLVIII.

ARCTURUS DE JORIO, *Notarius*

Sacra Congregatio Rituum

18 - INSTRUCTIO

DE MUSICA SACRA ET SACRA LITURGIA AD MENTEM LITTERARUM ENCYCLICARUM PII PAPAE XII « MUSICAE SACRAE DISCIPLINA » ET « MEDIATOR DEI ».

(AAS. L [22 Sept. 1958] pp. 630-663)

Textus

De Musica sacra, tria gravissimi ponderis documenta a Summis Pontificibus, nostra aetate, edita fuerunt, scilicet: Motu proprio sancti Pii X, *Tra le sollecitudini,* diei 22 Novembris anni 1903; Pii XI, fel. rec., Constitutio Apostolica *Divini cultus,* diei 20 Decembris anni 1928; demum Summi Pontificis Pii XII, fel. regn., Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina,* diei 25 Decembris anni 1955; nec defuerunt minora alia pontificia documenta et huius Sacrae Rituum Congregationis decreta, quibus variae res ad Musicam sacram pertinentes ordinabantur.

Neminem autem fugit, inter Musicam sacram et sacram Liturgiam tam arctam natura sua intercedere necessitudinem, ut vix de una leges ferri aut normae tradi possint, altera neglecta. Re quidem vera, in memoratis quoque pontificiis documentis et S. Rituum Congregationis [631] * decre-

* Numeri uncis quadratis inclusi significant paginam AAS cit.

tis permixta habetur materia de Musica sacra et de sacra simul Liturgia.

Cum porro idem Summus Pontifex Pius XII, prius quam de Musica sacra, alteras easque gravissimas de sacra Liturgia edidisset Litteras encyclicas *Mediator Dei,* diei 20 Novembris anni 1947, in quibus doctrina liturgica et necessitates pastorales mirabili modo coordinatae exponuntur, valde opportunum visum est, potiora capita, sacram Liturgiam et Musicam sacram earumque pastoralem efficaciam respicientia, ex memoratis documentis in unum colligere et peculiari Instructione pressius declarare, quo facilius et securius ea quae in iisdem documentis exposita sunt, in praxim reapse deducantur.

Consulto igitur Instructioni huic redigendae operam navarunt viri in Musica sacra periti et Pontificia Commissio pro generali liturgica instauratione constituta.

Totius autem Instructionis materia sequenti ordine est digesta:

Caput I. *Notiones generales* (nn. 1-10).
Caput II. *Normae generales* (nn. 11-21).
Caput III. *Normae speciales.*

1. De praecipuis actionibus liturgicis, in quibus Musica sacra adhibetur.

A) De Missa.

a) Principia quaedam generalia circa fidelium participationem (nn. 22-23).

b) De fidelium participatione in Missis in cantu (nn. 24-27).

6. De Musica sacra et sacra Liturgia excolenda.
   A) De cleri et populi generali in Musica sacra et sacra Liturgia institutione (nn. 104-112).
   B) De institutis publicis et privatis Musicae sacrae provehendae (nn. 113-118).

Praemissis igitur notionibus quibusdam generalibus (cap. I), normae item generales traduntur usum Musicae sacrae in Liturgia respicientes (cap. II); quo posito fundamento, tota res in capite III explicatur; in singulis autem paragraphis huius capitis statuuntur primum potiora quaedam principia, e quibus normae deinde speciales suapte defluunt.

Caput I

NOTIONES GENERALES

1. « Sacra Liturgia integrum constituit publicum cultum mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius »[1]. Propterea sunt « actiones liturgicae » illae actiones sacrae, quae, ex institutione Iesu Christi vel Ecclesiae eorumque nomine, secundum libros liturgicos a Sancta Sede approbatos, a personis ad hoc legitime deputatis peraguntur, ad debitum cultum Deo, Sanctis ac Beatis deferendum (cfr. can. 1256); ceterae actio-

---

[1] Litterae encyclicae *Mediator Dei*, diei 20 Novembris anni 1947: *A. A. S.* 39 (1947) 528-529.

nes sacrae quae, sive in ecclesia sive extra, sacerdote quoque praesente vel praeeunte, peraguntur, « pia exercitia » appellantur. [633]

2. Sacrosanctum Missae sacrificium est actus cultus publici, nomine Christi et Ecclesiae Deo redditi, quovis loco vel modo celebretur. Denominatio proinde « Missae privatae » vitetur.

3. Missarum species duae sunt: Missa « in cantu » et Missa « lecta ».

Missa dicitur *in cantu*, si sacerdos celebrans partes ab ipso iuxta rubricas cantandas revera cantu profert; secus dicitur *lecta*.

Missa « in cantu » porro, si celebratur cum assistentia ministrorum sacrorum, appellatur Missa *solemnis*; si celebratur absque ministris sacris, vocatur Missa *cantata*.

4. Sub nomine « Musicae sacrae » hic comprehenduntur:

a) Cantus gregorianus.
b) Polyphonia sacra.
c) Musica sacra moderna.
d) Musica sacra pro organo.
e) Cantus popularis religiosus.
f) Musica religiosa.

5. Cantus « gregorianus » in actionibus liturgicis adhibendus, est cantus sacer Ecclesiae romanae, qui, ex antiqua et veneranda traditione, sancte et fideliter excultus et ordinatus, vel recentioribus quoque temporibus iuxta priscae traditionis exemplaria modulatus, in respectivis libris, a Sancta Sede rite approbatis, ad usum liturgicum exhibetur. Gregorianus cantus natura sua non exigit, ut

cum sonitu organi vel alterius musici instrumenti peragatur.

6. Nomine « polyphoniae sacrae » ille intenditur cantus mensuratus, qui, ex gregorianis concentibus ortus, pluribus consertus vocibus, nullo comitante musicali instrumento, media aetate in Ecclesia latina vigere coepit, altero dimidio saeculi XVI Petrum Aloisium Praenestinum (1525-1594) maximum cultorem habuit, et ab eximiis eiusdem artis magistris adhuc excolitur.

7. « Musica sacra moderna » est musica, quae, pluribus conserta vocibus, musicis instrumentis non exclusis, recentiore aetate, iuxta progressum musicae artis concinnata est. Ipsa vero, cum directe ad usum liturgicum sit ordinata, pietate ac sensu religioso redoleat oportet, et hac condicione, in servitium liturgicum est recepta.

8. « Musica sacra pro organo » est musica pro solo organo composita, quae, inde a temporibus, quibus tubulatum organum ad concentum magis [634] aptum evasit, a claris magistris valde exculta fuit, quaeque, si leges Musicae sacrae ad amussim sequatur, ad sacram Liturgiam condecorandam non parum conferre potest.

9. « Cantus popularis religiosus » est ille cantus, qui sponte sua a religioso sensu oritur, quo humana creatura ab ipso Creatore ditata fuit, et proinde est universalis, apud omnes scilicet populos florens.

Cum autem idem cantus aptissimus sit ad vitam fidelium, privatam et socialem, christiano spiritu imbuendam, in Ecclesia, inde ab antiquissimis

temporibus, valde fuit excultus [2], et nostra quoque aetate ad fidelium pietatem fovendam et ad pia exercitia condecoranda enixe commendatur; immo in ipsis actionibus liturgicis quandoque admitti potest [3].

10. « Musica religiosa » demum illa est, quae, tum ex auctoris intentione, cum ex operis argumento et fine, sensus pios ac religiosos exprimere et movere contendit, et proinde « religionem valde iuvat » [4]; cum vero ad cultum divinum non sit ordinata, indolemque magis liberam prae se ferat, in actionibus liturgicis non admittitur.

Caput II

NORMAE GENERALES

11. Haec instructio vim suam exercet in omnes ritus Ecclesiae latinae; proinde, quae de cantu *gregoriano* dicuntur, valent etiam pro cantu liturgico proprio, si habeatur, aliorum rituum latinorum.

Nomine porro « Musicae sacrae » intellegitur in hac Instructione quandoque « cantus *et* instrumentorum sonus », quandoque « instrumentorum sonus » tantum, prout e contextu facile eruitur.

Denique, voce « ecclesiae » ordinarie compre-

---

2 Cfr. *Eph.* 5, 18-20; *Col.* 3, 16.

3 Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina,* diei 25 Decembris 1955: *A. A. S.* 48 (1956) 13-14.

4 Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina*: *A. A. S.* 48 (1956) 13.

henditur omnis « locus sacer », id est: ecclesia sensu stricto, oratorium publicum, semipublicum, privatum (cfr. can. 1154, 1161, 1188), nisi ex contextu de solis ecclesiis sensu stricto agi eluceat.

12. Actiones liturgicae peragi debent ad normam librorum liturgicorum rite ab Apostolica Sede approbatorum, sive pro universa Ecclesia, sive pro aliqua ecclesia particulari aut familia religiosa (cfr. can. 1257); [635] pia autem exercitia fiunt secundum consuetudines et traditiones locorum aut coetuum, a competente auctoritate ecclesiastica approbatas (cfr. can. 1259).

Actiones liturgicas et pia exercitia inter se commisceri non licet; sed, si casus ferat, pia exercitia actiones liturgicas aut praecedant aut sequantur.

13. *a*) Lingua actionum liturgicarum est latina, nisi in supradictis libris liturgicis, sive generalibus, sive particularibus, pro quibusdam actionibus liturgicis alia lingua explicite sit admissa, et salvis illis exceptionibus, quae infra ponuntur.

b) In actionibus liturgicis in cantu celebratis, nullus textus liturgicus, in linguam vulgarem verbotenus conversus, cani licet [5], salvis concessionibus particularibus.

c) Exceptiones particulares, a lege linguae latinae in actionibus liturgicis unice adhibendae, a Sancta Sede concessae, vim suam retinent; sed absque eiusdem Sanctae Sedis auctoritate non licet eas latius interpretari vel ad alias regiones transferre.

---

[5] Motu proprio *Tra le sollecitudini*, diei 22 Novembris 1903, n. 7: *A. S. S.* 36 (1903-1904) 334: *Decr. auth. S. R. C.* 4121.

d) In piis exercitiis quaevis lingua adhiberi potest fidelibus magis conveniens.

14. *a*) In Missis *in cantu* non solum a sacerdote celebrante et ministris, sed etiam a schola aut fidelibus unice lingua latina est adhibenda.

« Verum tamen, ubi saecularis vel immemorabilis consuetudo fert ut in sollemni Sacrificio Eucharistico [id est in Missis in cantu], post sacra verba liturgica latine cantata, nonnulla popularia vulgaris sermonis cantica inserantur, locorum Ordinarii id fieri sinere poterunt, " si pro locorum ac personarum adiunctis existiment eam [consuetudinem] prudenter submoveri non posse " (can. 5), firma tamen lege qua statutum est ne ipsa verba liturgica vulgari lingua canantur » [6].

b) In Missis *lectis* sacerdos celebrans, eius minister, et fideles qui una cum sacerdote celebrante actioni liturgicae *directe* participant, id est, clara voce illas partes Missae dicunt quae ad ipsos spectant (cfr. n. 31), unice linguam latinam adhibere debent.

Si autem fideles, praeter hanc participationem liturgicam *directam,* precationes quasdam vel cantus populares, secundum locorum consuetudinem, addere cupiunt, hoc fieri potest lingua quoque vernacula. [636]

c) Partes *Proprii, Ordinarii* et *Canonis Missae* elata voce dicere una cum sacerdote celebrante, lingua latina vel verbotenus conversas, sive ab omnibus fidelibus sive a quodam commentatore,

---

6 Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina*: *A. A. S.* 48 (1956) 16-17.

stricte prohibetur, exceptis iis quae n. 31 recensentur.

Optandum vero ut in dominicis et festis diebus, in Missis lectis, Evangelium et etiam Epistola, a quodam lectore, lingua vernacula ad utilitatem fidelium legantur.

A Consecratione insuper usque ad *Pater noster* sacrum suadetur silentium.

15. In sacris processionibus, a libris liturgicis descriptis, ea adhibeatur lingua, quam iidem libri praescribunt vel admittunt; in aliis vero processionibus, quae ad modum piorum exercitiorum peraguntur, lingua fidelibus participantibus magis conveniens adhiberi potest.

16. *Cantus gregorianus* est cantus sacer, Ecclesiae romanae proprius et principalis; ideoque in omnibus actionibus liturgicis non solum adhiberi potest, sed, ceteris paribus, aliis Musicae sacrae generibus est praeferendus.

Proinde:

a) Lingua cantus gregoriani, utpote cantus liturgici, est unice lingua latina.

b) Illae partes actionum liturgicarum, quae iuxta rubricas a sacerdote celebrante et ab eius ministris cantandae sunt, unice secundum modulos gregorianos, in editionibus typicis ordinatos, cantari debent, interdicto cuiusvis instrumenti comitante sono.

Schola et populus, cum sacerdoti et ministris cantantibus ex rubricarum vi respondent, itidem unice iisdem gregorianis modulis uti debent.

c) Demum, ubi per Indulta particularia permissum fuerit, ut in Missis in cantu, sacerdos ce-

lebrans, diaconus aut subdiaconus, vel lector, textibus Epistulae seu Lectionis, et Evangelii, gregorianis modulis decantatis, eosdem textus lingua quoque vernacula proclamare possint, hoc fieri debet legendo alta et clara voce, exclusa quavis cantilena gregoriana, authentica vel adsimulata (cfr. n. 96 *e*).

17. *Polyphonia sacra* in omnibus actionibus liturgicis adhiberi potest, hac tamen condicione, ut habeatur schola quae eam ad artis normam exsequi possit. Hoc genus Musicae sacrae actionibus liturgicis solemniore splendore celebrandis magis convenit. [637]

18. Item *Musica sacra moderna* in omnibus actionibus liturgicis admitti potest, si reapse respondeat dignitati, gravitati et sanctitati Liturgiae, et schola habeatur quae eam ad artis normam exsequi possit.

19. *Cantus popularis religiosus* in exercitiis piis libere adhiberi potest; in actionibus vero liturgicis stricte serventur quae superius, nn. 13-15, statuta sunt.

20. *Musica religiosa* autem ab omnibus actionibus liturgicis omnino arceatur: in piis vero exercitiis admitti potest; quoad concentus in locis sacris, serventur normae quae infra, nn. 54 et 55, traduntur.

21. Ea omnia, quae ad normam librorum liturgicorum, sive a sacerdote et eius ministris, sive a schola vel populo cantanda sunt, integre ad ipsam sacram Liturgiam pertinent. Quapropter:

a) Districte vetatur, ordinem textus cantandi quovis modo mutare, verba alterare vel omitte-

re, aut indecore iterare. In modulationibus quoque, ad modum polyphoniae sacrae et Musicae sacrae modernae compositis, singula textus verba clare et distincte percipi debent.

b) Ex eadem ratione, in quavis actione liturgica, explicite vetatur qualemcumque textum liturgicum cantandum, vel ex toto vel ex parte, omittere, nisi per rubricas aliter dispositum sit.

c) Si autem ob rationabilem causam, ex. gr. ob deficientem numerum cantorum, vel propter eorum non plenam artis cantandi peritiam, vel etiam quandoque, propter alicuius ritus vel cantilenae longitudinem, unus alterve textus liturgicus, qui ad scholam pertinet, cantari nequeat prout in notationibus librorum liturgicorum exhibetur, hoc unum permittitur, ut textus illi integre, aut recto tono, aut ad modum psalmorum cantentur, organo, si placet, comitante.

Caput III

NORMAE SPECIALES

1. De praecipuis actionibus liturgicis in quibus Musica sacra adhibetur

A) De Missa

a) *Principia quaedam generalia circa fidelium participationem*

22. Missa natura sua postulat, ut omnes adstantes, secundum modum sibi proprium, eidem participent.

a) Quae quidem participatio praeprimis *interna* esse debet, nimirum [638] pia animi attentione et cordis affectibus exercitata, qua fideles una « cum Summo Sacerdote arctissime coniungentur ... atque una cum Ipso et per Ipsum [Sacrificium] offerant, unaque cum Eo se devoveant »[7].

b) Adstantium vero participatio plenior evadit, si internae attentioni *externa* accedat participatio, actibus scilicet externis manifestata, uti corporis positione (genuflectendo, stando, sedendo), gestibus ritualibus, maxime vero responsionibus, precationibus et cantu.

De hac participatione Summus Pontifex Pius XII, in Litteris encyclicis de sacra Liturgia *Mediator Dei,* generaliori modo haec collaudando habet:

« Ii laudibus exornandi sunt, qui efficere contendunt, ut Liturgia externo etiam modo actio sacra fiat, quam reapse adstantes omnes communicent. Id quidem non una ratione contingere potest; cum nimirum universus populus, ex sacrorum rituum normis, vel sacerdotis verbis recto servato ordine respondet, vel cantus edit, qui cum variis Sacrificii partibus congruant, vel utrumque facit, vel denique cum in Sacris solemnibus alternas Iesu Christi administri precibus dat voces unaque simul liturgica cantica concinit »[8].

Harmonicam hanc participationem pontificia intendunt documenta, cum de « participatione ac-

---

[7] Litterae encyclicae *Mediator Dei,* diei 20 Novembris 1947: *A. A. S.* 39 (1947) 552.

[8] *A. A. S.* 39 (1947) 560.

tuosa » agunt [9], cuius praecipuum exemplar habetur in sacerdote celebrante eiusque ministris, qui, debita pietate interna atque rubricarum et caerimoniarum exacta observantia, altari deserviunt.

c) Perfecta demum participatio actuosa obtinetur, quando *sacramentalis* quoque participatio accedit, per quam scilicet « fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicant, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniat » [10].

d) Cum vero conscia et actuosa fidelium participatio absque eorum sufficienti institutione obtineri non possit, in memoriam revocare iuvat sapientem illam a Tridentinis Patribus conditam legem, qua praescribitur : « Mandat sancta Synodus pastoribus et singulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem [id est in homilia [639] post Evangelium, seu « cum catechesis plebi christianae traditur »], vel per se vel per alios, ex his quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis » [11].

23. Varios autem modos, quibus fideles sacrosancto Missae Sacrificio actuose participare possunt, ita oportet moderari, ut periculum cuiusvis

---

[9] Litterae encyclicae *Mediator Dei*: *A. A. S.* 39 (1947) 530-537.

[10] *S. Conc. Trid.* Sess. 22, cap. 6. Cfr. etiam Litteras encyclicas *Mediator Dei* (*A. A. S.* 39 [1947] 565): « Valde opportunum est, quod ceteroquin Liturgia statuit, populum ad sacram accedere Synaxim, postquam sacerdos divinam Dapem ex ara libaverit ».

[11] *S. Conc. Trid.* Sess. 22, cap. 8; Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina*: *A. A. S.* 48 (1956) 17.

abusus amoveatur, et praecipuus eiusdem participationis finis obtineatur, plenior scilicet Dei cultus et fidelium aedificatio.

b) *De fidelium participatione in Missis in cantu*

24. Forma nobilior eucharisticae celebrationis habetur in *Missa solemni* in qua caerimoniarum, atque Musicae sacrae cumulata solemnitas, divinorum mysteriorum magnificentiam patefacit, et adstantium mentes ad piam eorundem mysteriorum contemplationem conducit. Adnitendum proinde, ut fideles hanc celebrationis formam, ea qua par est aestimatione prosequantur, congrue eidem participando, prouti infra exponitur.

25. In Missa itaque solemni, actuosa fidelium participatio tribus gradibus perfici potest:

a) Primus gradus habetur, cum omnes fideles *responsa liturgica* cantando reddunt: *Amen; Et cum spiritu tuo; Gloria tibi, Domine; Habemus ad Dominum; Dignum et iustum est; Sed libera nos a malo; Deo gratias.* Omni cura adlaborandum est, ut fideles omnes, ubique terrarum, haec responsa liturgica in cantu reddere valeant.

b) Secundus gradus habetur, cum omnes fideles partes quoque ex *Ordinario Missae* decantant, scilicet: *Kyrie, eleison; Gloria in excelsis Deo; Credo; Sanctus-Benedictus; Agnus Dei.* Adnitendum sane, ut fideles easdem partes ex Ordinario Missae, simplicioribus praesertim gregorianis modulis, decantare sciant. Si omnes vero partes cantari nequeant, nihil prohibet quominus faciliores, uti *Kyrie, eleison; Sanctus-Benedictus; Agnus Dei,*

seligantur a fidelibus omnibus decantandae, *Gloria in excelsis Deo* vero et *Credo* a « schola cantorum ».

Ceterum curandum est, ut ubicumque terrarum sequentes faciliores gregoriani moduli a fidelibus addiscantur: *Kyrie, eleison; Sanctus-Benedictus,* et *Agnus Dei* iuxta num. XVI Gradualis romani; *Gloria* [640] *in excelsis Deo* una cum *Ite, missa est - Deo gratias,* iuxta modum XV; *Credo* autem iuxta num. I vel III. Hac sane via illud maxime optabile obtineri potest, ut Christifideles, ubicumque terrarum, communem Fidem in actuosa participatione sacrosancto Missae Sacrificio, communi quoque laetoque concentu manifestare valeant [12].

c) Tertius denique gradus habetur, si omnes adstantes ita sint in cantu gregoriano exercitati, ut partes quoque ex *Proprio Missae* cantare valeant. Quae quidem plena in cantu participatio urgenda est praesertim in communitatibus religiosis et in seminariis.

26. Magni quoque facienda est *Missa cantata,* quae, etsi sacris ministris et plena caerimoniarum magnificentia careat, decoratur tamen cantus et Musicae sacrae venustate.

Optandum est, ut dominicis et diebus festis, Missa paroecialis vel principalis sit in cantu.

Quae vero de fidelium participatione in Missa solemni superiore numero dicta sunt, eadem prorsus valent etiam pro Missa cantata.

---

[12] Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina*: *A. A. S.* 48 (1956) 16.

27. In Missis in cantu, haec insuper animadvertenda sunt:

a) Si sacerdos cum ministris introitum facit in ecclesiam per viam longiorem, nil prohibet quominus, decantata *antiphona ad Introitum cum suo versu,* plures alii eiusdem psalmi versus cantentur; quo in casu, post singulos vel binos versus repeti potest antiphona, et, quando celebrans ante altare advenerit, abrupto psalmo, si opus sit, cantatur *Gloria Patri,* et ultimo repetitur antiphona.

b) *Post antiphonam ad Offertorium* canere licet antiquos gregorianos modulos illorum versuum, qui olim post antiphonam decantabantur.

Si vero antiphona ad Offertorium a quodam psalmo desumpta sit, licet alios eiusdem psalmi versus decantare; quo in casu, post singulos vel binos versus psalmi, repeti potest antiphona, et, Offertorio expleto, psalmus clauditur cum *Gloria Patri,* et repetitur antiphona. Si vero antiphona e psalmo non sit desumpta, seligi potest alius psalmus solemnitati congruens. Cani tamen potest, expleta antiphona ad Offertorium, etiam aliqua cantiuncula latina, quae tamen huic Missae parti congruat, nec protrahatur ultra *Secretam.*

c) *Antiphona ad Communionem* per se canenda est dum sacerdos celebrans Ss.mum Sacramentum sumit. Si autem fideles communicandi [641] sint, cantus eiusdem antiphonae inchoetur dum sacerdos sacram Communionem distribuit. Si eadem antiphona ad Communionem e quodam psalmo desumpta sit, licet alios eiusdem psalmi versus decantare; quo in casu, post singulos vel binos versus, repeti potest antiphona, et, Communione ex-

pleta, psalmus clauditur cum *Gloria Patri*, et repetitur antiphona. Si vero antiphona non sit de psalmo, seligi potest psalmus solemnitati et actioni liturgicae congruens.

Expleta autem antiphona ad Communionem, praesertim si fidelium Communio diu protrahitur, licet quoque aliam cantiunculam latinam, sacrae actioni congruam decantare.

Fideles praeterea ad sacram Communionem accessuri, ter *Domine, non sum dignus*, una cum sacerdote celebrante, recitare possunt.

d) *Sanctus* et *Benedictus*, si modulis gregorianis decantentur, continue canendi sunt, secus vero, *Benedictus* post Consecrationem ponatur.

e) Dum Consecratio peragitur, omnis cantus cessare debet, et, ubi consuetudo viget, etiam sonus organi et cuiusvis musici instrumenti.

f) Consecratione peracta, nisi *Benedictus* adhuc sit canendus, sacrum suadetur silentium usque ad *Pater noster*.

g) Dum sacerdos celebrans in fine Missae fidelibus benedicit, organum sileat; sacerdos autem celebrans verba Benedictionis ita pronuntiare debet, ut ab omnibus fidelibus intellegi possint.

c) *De fidelium participatione in Missis lectis*

28. Sedulo curandum est, ut fideles, « non tamquam extranei vel muti spectatores »[13] Missae quoque lectae intersint, sed illam praestent participa-

---

[13] Constitutio Apostolica *Divini cultus*, diei 20 Decembris 1928: *A. A. S.* 21 (1929) 40.

tionem, quae a tanto mysterio requiritur, et quae uberrimos affert fructus.

29. Primus autem modus, quo fideles Missae lectae participare possunt, habetur, cum singuli, *propria industria*, participationem praestant, sive internam, piam scilicet ad potiores Missae partes attentionem, sive externam, iuxta varias regionum probatas consuetudines.

Ii potissimum in hac re laude digni sunt, qui parvum missale, proprio captui accommodatum, prae manibus habentes, una cum sacerdote, eisdem Ecclesiae verbis comprecantur. Cum vero non omnes aeque idonei sint ad ritus ac formulas liturgicas recte intellegendas, et cum praeterea [642] animorum necessitates non eaedem in omnibus sint, neque in singulis semper eaedem permaneant, his alia vel aptior vel facilior participationis ratio occurrit, scilicet « Iesu Christi mysteria pie meditando, vel alia peragendo pietatis exercitia aliasque fundendo preces, quae, etsi forma a sacris ritibus differunt, natura tamen sua cum iisdem congruunt »[14].

Notandum insuper, quod si alicubi, inter Missam lectam, mos vigeat organum sonandi, quin fideles sive communibus precibus, sive cantu Missae participent, reprobandus est usus, organum, harmonium, aut aliud musicum instrumentum quasi *sine intermissione* sonandi. Haec igitur instrumenta sileant:

a) Post ingressum sacerdotis celebrantis ad altare, usque ad Offertorium;

---

[14] Litterae encyclicae *Mediator Dei*: *A. A. S.* 39 (1947) 560-561.

b) A primis versiculis ante Praefationem usque ad *Sanctus* inclusive;

c) Ubi consuetudo viget, a Consecratione usque ad *Pater noster*;

d) Ab oratione dominica usque ad *Agnus Dei* inclusive; ad confessionem ante Communionem fidelium; dum dicitur *Postcommunio* et datur Benedictio in fine Missae.

30. Secundus participationis modus habetur, cum fideles Sacrificio eucharistico participant, *communes* precationes et cantus proferendo. Providendum, ut et precationes et cantus singulis Missae partibus apprime congruant, firmo tamen praescripto n. 14 *c*.

31. Tertius denique isque plenior modus obtinetur, cum fideles sacerdoti celebranti *liturgice respondent,* quasi cum illo « dialogando », et *partes sibi proprias clara voce dicendo.*

Quatuor vero gradus plenioris huius participationis distingui possunt:

a) Primus gradus, si fideles sacerdoti celebranti faciliora responsa liturgica reddunt, scilicet: *Amen; Et cum spiritu tuo; Deo gratias; Gloria tibi, Domine; Laus tibi, Christe; Habemus ad Dominum; Dignum et iustum est; Sed libera nos a malo*;

b) Secundus gradus, si fideles partes insuper proferunt, quae *a ministrante,* iuxta rubricas, sunt dicendae; et, si sacra Communio infra Missam distribuitur, confessionem quoque dicunt et ter *Domine, non sum dignus*;

c) Tertius gradus, si fideles partes quoque ex *Ordinario Missae,* [643] scilicet: *Gloria in ex-*

celsis Deo; Credo; Sanctus-Benedictus; Agnus Dei, una cum sacerdote celebrante recitant;

d) Quartus denique gradus, si fideles partes quoque ad *Proprium Missae* pertinentes: *Introitum; Graduale; Offertorium; Communionem,* una cum sacerdote celebrante proferunt. Hic ultimus gradus a selectis tantum cultioribus coetibus bene institutis, digne, prouti decet, adhiberi potest.

32. In Missis lectis totum *Pater noster,* cum apta sit et antiqua precatio ad Communionem, a fidelibus una cum sacerdote celebrante recitari potest, lingua vero latina tantum, et addito ab omnibus *Amen,* exclusa quavis recitatione in lingua vulgari.

33. In Missis lectis cantus populares religiosi a fidelibus cantari possunt, servata tamen hac lege, ut singulis Missae partibus plane congruant (cfr. n. 14 *b*).

34. Sacerdos celebrans, potissimum si aula ecclesiae magna sit et populus frequentior, ea omnia, quae secundum rubricas *clara voce* pronuntiare debet, adeo elata voce dicat, ut omnes fideles sacram actionem opportune et commode sequi possint.

d) *De Missa « conventuali », quae etiam Missa « in choro » appellatur*

35. Inter actiones liturgicas, quae peculiari dignitate excellunt, merito computanda est Missa « conventualis », seu « in choro », illa scilicet quae ab iis, qui per Ecclesiae leges choro adstringuntur,

in coniunctione cum Officio divino quotidie celebranda est.

Missa enim una cum Officio divino summam totius christiani cultus constituit, seu plenam illam laudem, quae omnipotenti Deo, externa quoque et publica solemnitate, quotidie tribuitur.

Cum autem plena haec publica et collegialis divini cultus oblatio in omnibus ecclesiis quotidie perfici nequeat, ideo ab iis, qui lege « chori » ad hoc deputati sunt, quasi *vicaria vice* peragitur; quod maxime valet de ecclesiis cathedralibus relate ad universam dioecesim.

Omnes proinde celebrationes « in choro » peculiari decore et solemnitate, id est, cantu et Musica sacra exornatae, ordinarie peragi debent.

36. Missa igitur conventualis *per se* solemnis esse debet, vel saltem cantata.

Ubi vero per leges particulares aut per peculiaria Indulta a solem-[644]nitate Missae « in choro » dispensatum fuit, id saltem omnino evitetur, ne inter Missam conventualem Horae canonicae recitentur. Praestat e contra, ut Missa conventualis *lecta* ea forma peragatur, quae n. 31 proponitur, secluso tamen quovis vernaculae linguae usu.

37. Ad Missam conventualem quod attinet, haec insuper serventur:

a) Singulis diebus una tantum dicenda est Missa conventualis, quae cum Officio in choro recitato concordare debet, nisi aliter a rubricis dispositum fuerit (*Additiones et Variationes in rubricis Missalis*, tit. I, n. 4). Obligatio tamen alias

Missas in choro celebrandi, ex piis fundationibus vel alia legitima causa, firma manet.

b) Missa conventualis sequitur normas Missae in cantu vel lectae.

c) Missa conventualis dicenda est post Tertiam, nisi communitatis moderator, gravi de causa, eam post Sextam vel Nonam dicendam esse censuerit.

d) Missae conventuales « extra chorum », hucusque a rubricis quandoque praescriptae, supprimuntur.

e) *De adsistentia sacerdotum sacrosancto Missae sacrificio deque Missis quas « synchronizatas » vocant*

38. Praemisso quod concelebratio sacramentalis in Ecclesia latina casibus limitatur a iure statutis; Responso deinde Supremae S. Congregationis S. Officii diei 23 Maii 1957 [15] in mentem revocato, quo invalida declaratur concelebratio Missae sacrificii ex parte sacerdotum, qui, etsi vestibus sacris induti et quavis intentione ducti, verba consecrationis non proferunt: non est prohibitum, ut, pluribus sacerdotibus, occasione Congressuum, simul convenientibus, « unus tantum sacrum peragat, alii vero (sive omnes sive plurimi) huic uni sacro intersint in eoque sacram synaxim e manu celebrantis sumant », dummodo « hoc ex iusta et rationabili causa fiat, neque Episcopus ad fidelium admirationem vitandam aliud statuerit », et huic modo agendi ne subsit error a Summo Pontifice

---

15 *A. A. S.* 49 (1957) 370.

Pio XII memoratus, quod scilicet celebratio unius Missae, cui centum sacerdotes pie adsistunt, aequivaleat celebrationi centum Missarum ex parte centum sacerdotum [16]. [645]

39. Prohibentur vero sic dictae « Missae synchronizatae », illae scilicet Missae hoc peculiari modo celebratae, quod duo vel plures sacerdotes, in uno vel pluribus altaribus, ita simultanee Missam celebrant, ut omnes actiones et omnia verba uno eodemque tempore et peragantur et proferantur, adhibitis quoque, praesertim si numerus sacerdotum ita celebrantium magnus sit, modernis quibusdam instrumentis quibus absoluta haec uniformitas seu « synchronizatio » facilius obtineatur.

B) De Officio Divino

40. Officium divinum absolvitur aut « in choro », aut « in communi », aut « a solo ».

Dicitur autem « in choro », si Officium divinum absolvitur a communitate, per leges ecclesiasticas ad chorum obligata; « in communi » vero, si idem fit a communitate, quae ad chorum non est adstricta.

Officium vero divinum, quovis modo absolvatur, sive « in choro » sive « in communi », sive « a solo », si ab illis peragatur qui per leges ecclesiasticas ad officium persolvendum deputati sunt, sem-

[16] Cfr. Allocutiones Summi Pontificis Pii XII ad E.mos PP. Cardinales atque Exc.mos Sacrorum Antistites, diei 2 Novembris 1954 (*A. A. S.* 46 [1954] 669-670); et ad eos qui Conventui internationali de Liturgia Pastorali, Assisii habito, interfuerunt, diei 22 Septembris 1956 (*A. A. S.* 48 [1956] 716-717).

per habendus est uti actus cultus *publici*, nomine Ecclesiae Deo redditi.

41. Officium divinum natura sua ita est constitutum, ut mutuis alternisque vocibus persolvatur; immo nonnullae partes per se postulant ut cantu peragantur.

42. His itaque statutis, absolutio Officii divini « in choro », retineatur et foveatur; absolutio vero « in communi », sicut etiam cantus alicuius saltem Officii partis, secundum locorum, temporum et personarum opportunitatem, enixe commendatur.

43. Psalmorum recitatio « in choro » vel « in communi », sive fiat in modulatione gregoriana, sive sine cantu, gravis sit atque conveniens, servata apta tonorum ratione, congruentis vocis mora, et plena vocum concordantia.

44. Si psalmi, qui in hora canonica occurrant, cantandi sint, partim saltem gregorianis modulis cantari debent, vel alternis psalmis, vel alternis versibus eiusdem psalmi.

45. Prisca et veneranda consuetudo, Vesperas in dominicis et festivis diebus una cum populo, ad normam rubricarum decantandi, ubi viget servetur; ubi non est, quantum fieri potest, inducatur, aliquoties saltem in anno. [646]

Adnitantur insuper locorum Ordinarii ne, occasione Missae vespertinae, Vesperarum cantus diebus dominicis et festivis desuescat. Missae enim vespertinae, quas Ordinarius loci permittere potest « si bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet » [17], detrimento esse non debent

---

[17] Constitutio Apostolica *Christus Dominus,* diei 6 Ianuarii 1953 (*A. A. S.* 45 [1953] 15-24); *Instructio* Supremae S. Congre-

actionibus liturgicis piisque exercitiis, quibus populus christianus dies festivos sanctificare consuevit.

Quapropter mos cantandi Vesperas aut pia alia exercitia celebrandi cum Benedictione eucharistica, ubi viget, retinendus est, etiamsi Missa vespertina celebretur.

46. In seminariis autem clericorum, sive saecularium sive religiosorum, saepius Officii divini saltem aliqua pars in communi peragatur, et, quantum possibile est, in cantu; diebus autem dominicis et festivis Vesperae saltem canendae sunt (cfr. can. 1367, 3°).

C) De Benedictione eucharistica

47. Benedictio eucharistica est vera actio liturgica; proinde fieri debet prouti in *Rituali Romano,* tit. X, cap. V, n. 5, describitur.

Sicubi vero ex traditione immemorabili alius vigeat modus eucharisticam Benedictionem impertiendi, hic modus de licentia Ordinarii conservari potest; suadetur tamen prudenter romanum morem Benedictionis eucharisticae promovere.

---

gationis Sancti Officii eiusdem diei (*A. A. S.* 45 [1953] 47-51); Motu proprio *Sacram Communionem,* diei 19 Martii 1957 (*A. A. S.* 49 [1957] 177-178).

2. De quibusdam generibus Musicae sacrae

A) De Polyphonia sacra

48. Opera auctorum polyphoniae sacrae, cum antiquorum, tum recentiorum, in actiones liturgicas ne inducantur, nisi prius certe constiterit, ea ita esse composita vel aptata, ut normis et monitis in Litteris encyclicis *Musicae sacrae disciplina* [18] ad rem traditis, reapse respondeant. In dubio consulatur Commissio dioecesana de Musica sacra.

49. Prisca huiusce artis monumenta, quae adhuc in archivis iacent, diligenter investigentur, de eorum conservatione, si opus sit, opportune provideatur, eorumque editiones, sive criticae, sive ad usum liturgicum aptae, a peritis parentur. [647]

B) De Musica sacra moderna

50. Musicae sacrae modernae opera in actionibus liturgicis ne adhibeantur, nisi iuxta leges liturgicas et ipsius artis Musicae sacrae concinnata sint, ad mentem Litterarum encyclicarum *Musicae sacrae disciplina* [19]. Qua de re iudicium feret Commissio dioecesana de Musica sacra.

C) De cantu populari religioso

51. Cantus popularis religiosus summopere commendandus et provehendus est; eius enim ope

---

18 *A. A. S.* 48 (1956) 18-20.
19 *A. A. S.* 48 (1956) 19-20.

vita christiana spiritu religioso perfunditur mentesque fidelium ad superiora elevantur.

Huiusmodi autem cantus popularis religiosus proprium habet locum in omnibus, sive publicis sive familiaribus vitae christianae solemnitatibus, vel etiam inter diuturnos vitae quotidianae labores; nobiliorem vero partem obtinet in omnibus piis exercitiis, sive extra sive intra ecclesiam peragendis; quandoque demum in ipsis actionibus liturgicis admittitur, iuxta normas superius nn. 13-15 traditas.

52. Ut autem religiosa cantica popularia finem suum attingant, « ad catholicae Fidei doctrinam plene conformentur oportet, eam recte proponant et explicent, lingua utantur plana et modulatione simplici, a tumida et inani verborum profluentia immunia sint, ac denique etsi brevia sunt et facilia, quandam prae se ferant religiosam dignitatem et gravitatem »[20]. Quae praescripta ut serventur, locorum Ordinarii sedula cura caveant.

53. Commendatur igitur omnibus quorum interesse potest, ut cantiones populares religiosae, antiquioris quoque aetatis, quae scripto aut viva voce traditae sunt, opportune colligantur, et, locorum Ordinariis approbantibus, ad fidelium usum edantur.

D) De Musica religiosa

54. Magni quoque illa musica aestimanda est et opportune excolenda, quae etsi in actionibus li-

---

[20] Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina*: *A. A. S.* 48 (1956) 20.

turgicis propter peculiarem suam indolem admitti nequit, eo tamen tendit, ut in audientibus religiosos affectus producat ipsamque religionem foveat, ideoque musica *religiosa* iure meritoque nuncupatur. [648]

55. Sedes propriae ad opera musica religiosa disponenda sunt auditoria ad concentus musicos destinata, vel aulae spectaculis aut conventibus constitutae, non vero ecclesiae, cultui Dei sacrae.

Sicubi vero auditorium musicum vel alia aula conveniens non exstet et nihilominus concentum musicae religiosae fidelibus utilitatem spiritualem afferre posse existimetur, Ordinarius loci concentum huiusmodi in aliqua ecclesia permittere potest, servatis tamen quae sequuntur:

a) Pro quolibet concentu instituendo requiritur eiusdem Ordinarii loci licentia in scriptis;

b) Ad hanc licentiam obtinendam praecedat oportet petitio scripta, in qua significentur: tempus concentus, operum argumenta, nomina magistrorum (organici et magistri chori) atque artificum;

c) Ordinarius loci licentiam ne concedat, nisi, audito voto Commissionis dioecesanae de Musica sacra et consilio aliorum forte virorum in re peritorum, plane sibi constet opera proponenda non modo genuina arte praestare, sed sincera quoque christiana pietate; necnon personas, quae concentum exsecuturae sint, qualitatibus pollere, de quibus nn. 97 et 98.

d) Ss.mum Sacramentum, opportuniore tempore ab ecclesia auferatur et in sacello quodam vel etiam in sacristia decenter reponatur; sin minus,

auditores moneantur, Ss.mum Sacramentum in ecclesia praesens esse, et rector ecclesiae diligenter curet, ut eidem Sacramento nulla obveniat irreverentia;

e) Si scidulae ad aditum emendae sint, aut libelli concentus distribuendi, haec omnia extra aulam ecclesiae fiant;

f) Musici, cantores et auditores ita se gerant talique more vestiantur, ut eam gravitatem prae se ferant, quae loci sacri sanctitatem omnino decet.

g) Pro rerum adiunctis praestat ut concentus aliquo pio exercitio concludatur, vel potius Benedictione eucharistica, eo sane proposito, ut spiritualis mentium elevatio quam concentus promovere intendit, sacra actione quasi coronetur.

3. De libris cantus liturgici

56. Libri cantus liturgici Ecclesiae Romanae hucusque typice editi sunt:

Graduale Romanum, cum *Ordinario Missae.*

Antiphonale Romanum pro Horis diurnis. [649]

Officium Defunctorum, Maioris hebdomadae et *Nativitatis D. N. Iesu Christi.*

57. Sancta Sedes, in omnes cantilenas gregorianas, quae in libris liturgicis Ecclesiae romanae ab ipsa approbatis continentur, omnia sibi vindicat proprietatis et usus iura.

58. Decretum S. Rituum Congregationis, die 11 mensis Augusti anni 1905 datum, seu « Instruc-

tio circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium » [21], necnon subsequens « Declaratio circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium », diei 14 mensis Februarii anni 1906 [22], alterumque Decretum, die 24 mensis Februarii anni 1911 editum de quibusdam quaestionibus particularibus circa approbationem librorum cantus « Propriorum » alicuius dioecesis vel religiosae familiae [23], vim suam retinent.

Quae autem eadem S. Rituum Congregatio, die 10 Augusti anni 1946 statuit « De facultate edendi libros liturgicos » [24], valent quoque pro libris cantus liturgici.

59. Cantus ergo gregorianus *authenticus* ille est, qui in editionibus « typicis » vaticanis exhibetur, vel a S. Rituum Congregatione pro aliqua ecclesia particulari aut familia religiosa approbatus est, et propterea ab editoribus, debita facultate munitis, in omnibus, cantilena scilicet et textu, ad amussim transumendus est.

Signa autem, quae *rythmica* dicuntur, privata auctoritate in cantum gregorianum inducta, permittuntur, dummodo integra servetur notularum vis et ratio, quae in vaticanis libris cantus liturgici inveniuntur.

---

21 *Decr. auth. S. R. C.* 4166.
22 *Decr. auth. S. R. C.* 4178.
23 *Decr. auth. S. R. C.* 4260.
24 *A. A. S.* 38 (1946) 371-372.

4. De instrumentis musicis et de campanis

A) Principia quaedam generalia

60. Circa usum instrumentorum musicorum in sacra Liturgia haec recolantur principia:

a) Attenta sacrae Liturgiae natura, sanctitate ac dignitate, cuiuscumque instrumenti musici usus per se quam maxime perfectus esse [650] deberet. Melius erit proinde concentum instrumentorum (sive unius organi, sive aliorum instrumentorum) penitus omittere, quam indecore peragere; et generatim melius erit aliquid, etsi circumscriptum, bene agere, quam ampliora moliri, quibus explendis apta media deficiant.

b) Ratio deinde habenda est differentiae, quae *sacram* inter et *profanam* musicam intercedit. Dantur enim instrumenta musica, quae natura sua et origine — uti organum classicum — ad Musicam sacram directe ordinantur; vel alia, quae ad usum liturgicum facile aptantur, ut quaedam instrumenta, quae nervis et arcu constant; alia e contra exstant instrumenta, quae, communi iudicio, adeo profanae musicae propria existimantur, ut sacro usui aptari omnino nequeant.

c) Denique ea tantum musica instrumenta in sacra Liturgia admittuntur, quae personali artificis actione tractantur, non autem quae modo mechanico seu automatico.

B) DE ORGANO CLASSICO ET INSTRUMENTIS SIMILIBUS

61. Praecipuum illudque solemne instrumentum musicum liturgicum Ecclesiae latinae fuit et manet organum classicum, seu tubulatum.

62. Organum servitio liturgico destinatum, etsi parvum, ad artis normam sit confectum, iisque vocibus instructum, quae sacro usui conveniunt; prius quam in usum deducatur, rite sit benedictum; et qua res sacra, omni diligentia custodiatur.

63. Praeter organum classicum, usus quoque admittitur illius instrumenti, quod « harmonium » vocant; hac quidem condicione, ut vocum qualitate et sonitus amplitudine sacro usui respondeat.

64. Illud vero adsimulatum organum, quod « electrophonicum » vocant, inter actiones liturgicas ad tempus tolerari potest, cum opes non suppetant ad organum tubulatum, etsi parvum, comparandum. In singulis tamen casibus accedat oportet explicita Ordinarii loci licentia. Hic autem consulat prius Commissionem dioecesanam de Musica sacra aliosve in hac re viros peritos, qui ea omnia suadere studeant, quae tale instrumentum ad usum sacrum magis accommodatum reddant.

65. Modulatores instrumentorum, de quibus nn. 61-64, sufficienter peritos esse oportet in arte sonandi, sive ad sacros cantus aut musicorum concentus comitandos, sive ad organum solum belle modulandum; quin immo, cum saepe saepius necesse sit, inter actiones liturgicas [651] sonos « ex tempore » reddere, qui variis momentis eiusdem actionis congruant, in legibus, quae organo et Mu-

sicae sacrae in genere praesunt, scientia et experientia versati esse debent.

Iidem modulatores instrumenta sibi concredita religiose custodire studeant. Quoties autem organo in sacis functionibus assident, conscii sibi sint de parte activa quam exercent ad gloriam Dei et in fidelium aedificationem.

66. Organi modulatio, sive actiones liturgicas prosequatur, sive pia exercitia, diligenti cura aptanda est temporis vel diei liturgici qualitati, ipsorumque rituum et exercitiorum naturae, necnon singulis eorum partibus.

67. Nisi antiqua consuetudo vel peculiaris aliqua ratio, ab Ordinario loci comprobanda, aliud suadeat, organum collocetur in proximitate altaris maioris, loco magis opportuno, at semper ita, ut cantores vel musici in suggestu consistentes, a fidelibus in aula ecclesiae adunatis conspici nequeant.

C) De Musica sacra instrumentali

68. In actionibus liturgicis, diebus praesertim solemnioribus, alia quoque instrumenta musica — in primis illa, quorum chordae parvo fricata arcu sonant, — praeter organum adhiberi possunt, una cum organo vel sine, in musico concentu aut ad cantum comitandum, legibus tamen stricte servatis quae ex principiis, supra propositis (n. 60), promanant, quaeque sunt:

a) Ut agatur de instrumentis musicis, quae usui sacro revera aptari possunt;

b) Sonitus horum instrumentorum tali modo et gravitate, ac quasi religiosa castitate elicia-

tur, ut omnis profanae musicae clangor evitetur et fidelium pietas foveatur;

c) Concentus magister, organicus et artifices, usum instrumentorum et leges Musicae sacrae bene calleant.

69. Locorum Ordinarii, ope praesertim Commissionis dioecesanae de Musica sacra, sedulo invigilent, ut haec de usu instrumentorum in sacra Liturgia praescripta reapse serventur; nec omittant, si casus ferat, peculiares de hac re tradere normas, conditionibus et probatis consuetudinibus aptatas. [652]

D) De instrumentis musicis et de machinis « automaticis »

70. Instrumenta musica quae, ex communi iudicio et usu, profanae tantum musicae conveniunt, ab omni actione liturgica et a piis exercitiis omnino arceantur.

71. Usus instrumentorum et machinarum « automaticarum », uti sunt: autoorganum, grammophonium, radiophonium, dictaphonium seu magnetophonium, et alia eiusdem generis, in actionibus liturgicis et piis exercitiis, sive intra sive extra ecclesiam peragendis, absolute vetatur, etsi agatur tantum de sacris sermonibus vel Musica sacra transmittenda, vel de cantoribus aut fidelibus in cantu substituendis aut etiam sustentandis.

His tamen machinis uti licet, etiam in ecclesiis, sed extra actiones liturgicas et pia exercitia, cum agitur de audienda voce Summi Pontificis, Ordinarii loci, vel aliorum oratorum sacrorum; vel

etiam ad fideles in doctrina christiana vel in cantu sacro aut religioso populari instituendos; denique ad populi cantum dirigendum et sustentandum in processionibus extra ecclesiam peragendis.

72. Instrumentis autem, quae « amplificatores » dicuntur, uti licet in actionibus quoque liturgicis et piis exercitiis, si agatur de amplificanda viva voce sacerdotis celebrantis aut « commentatoris » vel aliorum, qui, iuxta rubricas vel ex mandato rectoris ecclesiae, vocem edere possint.

73. Usus machinarum pro imaginibus proiciendis, praesertim vero earum quas « cinematographicas » vocant, sive proiectiones « mutae » sint sive « sonorae », in ecclesiis, quacumque de causa quamvis pia, religiosa aut benefica, strictissime vetatur.

Caveatur insuper ne, in aulis ad conventus et praesertim ad spectacula prope ecclesiam, vel, alio loco deficiente, subter ecclesiam exstruendis vel aptandis, aditus ex ipsis aulis ad ipsam ecclesiam pateat, neve strepitus ex iis proveniens sanctitatem et silentium loci sacri ullo modo perturbet.

E) De sacris actionibus ope radiophoniae et televisionis diffundendis

74. Ad actiones liturgicas vel pia exercitia, quae cum intra tum extra ecclesiam peraguntur, ope radiophoniae vel televisionis diffundenda, expressa requiritur Ordinarii loci licentia; quam ipse ne concedat, nisi prius sibi constet: [653]

a) Cantum et Musicam sacram, legibus sive liturgicis sive Musicae sacrae apprime respondere;

b) Insuper, si agatur de diffusione televisifica, omnes, qui in functione sacra partem habent, ita bene instructos esse, ut celebratio rubricis plane conformis et omnino digna evadat.

Hanc licentiam modo habituali Ordinarius loci concedere potest pro transmissionibus regulariter ex eadem ecclesia perficiendis, si, omnibus perpensis, sibi constet omnia quae requiruntur diligenter servari.

75. Machinae ad diffusionem televisificam perficiendam, quantum fieri potest, in presbyterium ne inducantur; numquam vero ita prope altare collocentur, ut sacris ritibus impedimento sint.

Operatores insuper his machinis addicti illa gravitate se gerant, quae locum et ritum sacrum deceat, et pietatem adstantium minime perturbet, iis praesertim momentis, quae summam devotionem postulant.

76. Quae superiore articulo statuuntur, servanda sunt etiam ab illis artificibus, quos « photographos » vocant: et quidem maiore cum diligentia, attenta facilitate qua se et machinas quocumque transferre possunt.

77. Singuli ecclesiarum rectores curent, ut praescripta, de quibus nn. 75-76, fideliter serventur; locorum autem Ordinarii ne omittant accuratiores tradere normas, quas rerum adiuncta forte exigant.

78. Cum radiophonica transmissio natura sua postulet, ut auditores illam sine interruptione sequi possint, in Missa radiophonice diffusa iuvat, ut sacerdos celebrans, praesertim si aliquis Missae « commentator » desit, verba illa, quae, vi rubri-

carum *submissa voce* recitanda sunt, « voce *tantisper* elevata » pronuntiet; item ea quae *clara voce* dicenda sunt, « altius » proferat, ut audientes totam Missam commode sequi possint.

79. Iuvat denique ut, ante transmissionem sanctae Missae ope radiophoniae vel televisionis, auditores vel spectatores moneantur, talem Missae auditionem vel visionem, ad satisfacendum praecepto de Sacro audiendo, non sufficere. [654]

F) De tempore quo instrumentorum musicorum sonus prohibetur

80. Quoniam organi et magis quoque aliorum instrumentorum sonus *ornamentum* constituit sacrae Liturgiae, usus idcirco eorundem instrumentorum temperandus est secundum gradum laetitiae, qua singuli dies vel tempora liturgica distinguuntur.

81. In omnibus ergo actionibus liturgicis, excepta tantum Benedictione eucharistica, sonus organi omniumque aliorum instrumentorum musicorum prohibetur:

a) Tempore Adventus, id est a primis Vesperis dominicae primae Adventus usque ad Nonam vigiliae Nativitatis Domini;

b) Tempore Quadragesimae et Passionis, id est a Matutino feriae quartae Cinerum usque ad hymnum *Gloria in excelsis Deo* in Missa solemni Vigiliae paschalis;

c) Feriis et sabbato quatuor temporum Septembris, si Officium et Missa de iis fiant;

d) In omnibus Officiis et Missis defunctorum.

82. Sonus aliorum instrumentorum, praeter sonum organi, prohibetur insuper in dominicis in Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima feriisque has dominicas sequentibus.

83. Pro diebus tamen temporibusque ut supra prohibitis, sequentes statuuntur exceptiones:

a) *Organi et aliorum instrumentorum sonus* permittitur diebus festis de praecepto et feriatis (exceptis dominicis) necnon festis patroni principalis loci, tituli vel anniversarii dedicationis ecclesiae propriae et tituli aut fundatoris familiae religiosae; vel si solemnitas aliqua extraordinaria occurrat;

b) *Organi* tantum aut *harmonii sonus* permittitur in dominicis tertia Adventus et quarta Quadragesimae; necnon feria quinta infra Hebdomadam sanctam in Missa chrismatis, et ab initio Missae solemnis vespertinae in « Cena Domini » usque ad finem hymni *Gloria in excelsis Deo*;

c) Item *organi* tantum aut *harmonii sonus* permittitur in Missa et in Vesperis, solummodo ad cantum sustentandum.

Ordinarii locorum has prohibitiones vel permissiones, secundum probatas locorum aut regionum consuetudines, pressius determinare possunt. [655]

84. Per totum Triduum sacrum, idest a media nocte qua incipit feria quinta in Cena Domini usque ad hymnum *Gloria in excelsis Deo* in Missa solemni Vigiliae paschalis, organum et harmonium omnino taceant, et ne ad cantum quidem

sustentandum adhibeantur, salvis exceptionibus, quae supra, n. 83 *b*, statuuntur.

Sonus porro organi et harmonii hoc triduo prohibetur, sine ulla exceptione, et non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam in piis exercitiis.

85. Ne omittant ecclesiarum rectores, vel quorum interest, rationem illius liturgici silentii fidelibus debite explicare, neque obliviscantur curam adhibere, ut iisdem diebus vel temporibus ceterae quoque praescriptiones liturgicae *de altaribus non ornandis* pariter observentur.

G) De campanis

86. Perantiquum ac probatissimum campanarum usum in Ecclesia latina, omnes, quorum interest, religiose servare tenentur.

87. Campanae ad ecclesiarum usum ne adhibeantur, nisi prius solemniter consecratae vel saltem benedictae fuerint; ex tunc autem ut res sacrae debita serventur cura.

88. Probatae consuetudines ac diversi modi campanas pulsandi, iuxta distinctos eiusdem sonitus fines, omni cura retineantur; neque omittant locorum Ordinarii traditas usualesque huius rei normas colligere, vel, ubi desint, praescribere.

89. Innovationes, quae ad id tendunt, ut campanae ipsae pleniorem edant sonum, vel ut earum pulsatio facilior evadat, ab Ordinariis locorum, audito peritorum voto, admitti possunt; in dubio autem, res huic S. Rituum Congregationi proponatur.

90. Praeter diversos consuetos et probatos modos sacras campanas pulsandi, de quibus supra n. 88, peculiares alicubi exstant apparatus plurium campanularum in ipsa turri campanaria appensarum, quibus variae eduntur cantilenae et concentus. Talis campanularum ludus, qui communiter « carillon » appellatur (germanice « Glockenspiel »), a quovis usu liturgico omnino excluditur. Campanulae autem ad talem usum destinatae, nec consecrari possunt, nec benedici iuxta solemnem Pontificalis Romani ritum, sed simplici tantummodo benedictione. [656]

91. Totis viribus adnitendum est ut omnes ecclesiae, oratoria publica et semipublica, saltem una vel duabus, etsi parvis, campanis sint instructa; districte vero prohibetur, loco sacrarum campanarum, adhibere qualemcumque machinam vel instrumentum, ad campanarum sonum mechanice vel automatice imitandum vel amplificandum; licet tamen huiusmodi machinis vel instrumentis uti, si, iuxta superius statuta, ad modum « carillon » adhibeantur.

92. Ceterum praescripta can. 1169, 1185, et 612 Codicis Iuris Canonici ad amussim serventur.

5. De personis quae in Musica sacra et sacra Liturgia praecipuas partes habent

93. *Sacerdos celebrans* toti actioni liturgicae praeest.

Ceteri omnes actioni liturgicae modo sibi proprio participant. Proinde:

a) *Clerici,* qui modo et forma a rubricis statutis, seu qua clerici, actioni liturgicae intersunt, sive ministrorum sacrorum aut ministrorum minorum munere fungentes, sive etiam in choro seu in schola cantorum partem habentes, *servitium ministeriale proprium et directum exercent,* et quidem vi ordinationis aut assumptionis in statum clericalem.

b) *Laici autem participationem liturgicam actuosam praestant,* et quidem vi characteris baptismalis, quo fit, ut in sacrosancto quoque Missae Sacrificio, pro modo suo divinam victimam Deo Patri cum sacerdote offerant[25].

c) Laici vero masculini sexus, sive pueri sint, sive iuvenes aut viri, cum a competente auctoritate ecclesiastica ad ministerium altaris vel ad Musicam sacram exsequendam deputantur, si tale officium modo et forma a rubricis statutis peragant, *servitium ministeriale directum* quidem, sed *delegatum,* exercent, ea tamen condicione, si de cantu agatur, ut « chorum » seu « scholam cantorum » constituant.

94. Sacerdos celebrans et ministri sacri, praeter accuratam rubricarum observantiam, nitantur oportet, partes in cantu proferendas, recte, distincte et belle, quantum possunt absolvere.

95. Quotiescumque ad actionem liturgicam celebrandam, personarum delectus fieri potest, praestat ut ii praeferantur, qui in cantu excellen- [657]
tiores esse noscuntur; praesertim si agatur de

---

[25] Cfr. Litterae encyclicae *Mystici Corporis Christi,* diei 29 Iunii anni 1943: *A. A. S.* 35 (1943) 232-233; Litterae encyclicae *Mediator Dei,* diei 20 Novembris anni 1947: *A. A. S.* 39 (1947) 555-556.

actionibus liturgicis solemnioribus, et de iis quae aut cantum difficiliorem exigant, aut radiophonice vel televisive transmittantur.

96. Actuosa fidelium participatio, praesertim sanctae Missae et quibusdam liturgicis actionibus magis implicatis, facilius obtineri poterit, si aliquis « commentator » interveniat, qui, momento opportuno paucisque verbis, ritus ipsos, aut sacerdotis celebrantis vel sacrorum ministrorum precationes aut lectiones interpretetur, et externam fidelium participationem, eorum scilicet responsiones, precationes et cantus, moderetur. Huiusmodi commentator admitti potest, servatis normis quae sequuntur:

a) Convenit, ut munus commentatoris a sacerdote vel saltem a clerico absolvatur; his deficientibus, viro laico committi potest, christianis moribus commendato et de munere bene edocto. Mulieres vero numquam officio commentatoris fungi possunt; hoc unum permittitur, ut in casu necessitatis, mulier cantum aut precationes fidelium quasi ducat.

b) Commentator, si sacerdos sit aut clericus, cotta sit indutus, et in presbyterio vel ad cancellos consistat, aut in ambone vel pulpito; si vero sit laicus, sistat coram fidelibus, opportuniore loco, sed extra presbyterium, vel pulpitum.

c) Explicationes et monitiones, a commentatore tradendae, scripto sint praeparatae, paucae, sobrietate perspicuae, tempore opportuno et voce moderata prolatae; orationibus sacerdotis celebrantis numquam superponantur; uno verbo: ita

disponantur, ut fidelium pietati adiumento sint, non nocumento.

d) In moderandis fidelium precationibus, meminerit commentator praescriptorum, de quibus supra n. 14 *c*.

e) In locis ubi Sancta Sedes vulgarem Epistulae et Evangelii lectionem, post cantatum textum latinum permiserit, nequit commentator, pro huiusmodi proclamatione, se celebranti, diacono, subdiacono vel lectori substituere (cfr. n. 16 *c*).

f) Commentator sacerdotis celebrantis rationem habeat et sacram actionem ita comitetur, ut haec nec retardari debeat nec interrumpi, adeo ut tota actio liturgica harmonica evadat, digna ac pia.

97. Omnes, qui in Musica sacra partem habent, ut sunt musicorum modulorum inventores, organici, chori magistri, cantores, aut etiam [658] artifices musici, ante omnia, quippe qui sacrae Liturgiae directe vel indirecte participent, ceteris fidelibus vitae christianae exemplo praecellant.

98. Iidem, praeter memoratam fidei morumque christianorum praecellentiam, pro eorum condicione et liturgica participatione, in sacra Liturgia ac Musica sacra, maiore vel minore institutione ornati esse debent. Et quidem:

a) *Auctores* seu *Musicae sacrae compositores*, sat completam possideant ipsius sacrae Liturgiae scientiam, sub respectu historico, dogmatico seu doctrinali, practico seu rubricali; linguam quoque latinam calleant; in legibus denique artis Musicae sacrae simul ac profanae, et in historia musicae, profunde sint instituti.

b) *Organici* quoque atque *chori magistri* sat amplam habeant sacrae Liturgiae scientiam et linguae latinae sufficientem cognitionem; denique propria quisque arte adeo sint instituti, ut officium suum digne et competenter exercere valeant.

c) *Cantoribus* etiam, sive pueri sint sive adulti, talis, pro eorum captu, praebeatur actionum liturgicarum et textuum quos canere debent, cognitio, ut ipsum cantum ea mentis intellegentia et cordis affectu possint promere, quem requirit servitutis eorum « rationabile obsequium ». Edoceantur quoque, latina verba recte et distincte pronuntiare. Rectores ecclesiarum, vel quorum interest, sedulo invigilent, ut in loco, ubi cantores in ecclesia sistunt, bonus ordo et sincera regnet devotio.

d) *Artifices denique musici*, Musicam sacram exsecuturi, non solum proprio quisque instrumento ad regulas artis sint experti, sed eius usum ad sacrae quoque Musicae leges bene aptare sciant, atque rerum liturgicarum tali cognitione sint instructi, ut externum artis exercitium cum devota pietate congrue valeant coniungere.

99. Valde optandum, ut ecclesiae cathedrales, et saltem ecclesiae paroeciales vel aliae maioris momenti, proprium habeant et stabilem « chorum » musicum seu « scholam cantorum », quae verum servitium ministeriale praestare possit ad normam articuli 93 *a* et *c*.

100. Sicubi vero talis chorus musicus constitui nequit, permittitur ut constituatur chorus fidelium, sive « mixtus », sive mulierum aut puellarum tantum. Huiusmodi vero chorus in proprio collo-

cetur loco, extra presbyterium seu extra cancellos posito; viri autem a mulieribus [659] vel puellis seorsim consistant, quolibet sedulo vitato inconvenienti. Neque omittant locorum Ordinarii, hac de re praecisas edere normas, de quarum observantia rectores ecclesiarum respondere debeant [26].

101. Optandum ac suadendum est ut organici, chori magistri, cantores, artifices musici aliique servitio ecclesiae addicti, pietatis ac religionis studio operam suam pro amore Dei reddant, nullo interveniente stipendio. Quod si eandem operam gratis praestare nequeant, iustitia christiana aeque ac caritas postulant ut superiores ecclesiastici, iuxta varias ac probatas locorum consuetudines, servatis quoque legum civilium ordinationibus, iustam ipsis tribuant mercedem.

102. Convenit porro, ut locorum Ordinarii, audito quoque Commissionis de Musica sacra consilio, tabellam edant, in qua stipendium diversis personis superiore articulo nominatis tribuendum, pro universa dioecesi statuatur.

103. Oportet denique, ut pro iisdem personis ea omnia accurate disponantur, quae ad sic dictam « praevidentiam socialem » referuntur, servatis legibus civilibus, si exsistant, vel, his deficientibus, normis ab iisdem Ordinariis opportune edendis.

---

[26] Cfr. *Decr. auth. S. R. C.* 3964, 4210, 4231, et Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina*: *A. A. S.* 48 (1956) 23.

6. De Musica sacra et sacra Liturgia excolenda

A) De cleri et populi generali in Musica sacra et sacra Liturgia institutione

104. Musica sacra arctissime cum Liturgia connectitur; cantus vero sacer integre ad ipsam Liturgiam pertinet (n. 21); cantus denique religiosus popularis amplissime in piis exercitiis adhibetur, quandoque etiam in actionibus liturgicis (n. 19). Hinc facile evincitur, institutionem de Musica sacra deque sacra Liturgia separari non posse, utramque ad vitam christianam pertinere, mensura sane diversa, iuxta varios clericorum et fidelium status et ordines.

Omnes propterea quandam saltem institutionem de sacra Liturgia deque Musica sacra, proprio statui congruentem, adipiscantur oportet.

105. Naturalis eaque primigenia christianae educationis schola est ipsa *familia christiana*, in qua pueruli sensim ducuntur ad fidem chri-[660] stianam cognoscendam et exercendam. Adnitendum igitur, ut parvuli, pro eorum aetate et ratione, piis exercitiis et actionibus quoque liturgicis, praesertim Sacrificio Missae, participare addiscant, et cantum popularem religiosum, in familia et in ecclesia, cognoscere et adamare incipiant (cfr. *supra*, nn. 9, 51-53).

106. In *scholis* deinde, quae *primariae* aut *elementares* appellari solent, haec serventur:

a) Si a catholicis regantur et proprias sequi possint ordinationes, providendum est, ut pueri

in scholis ipsis cantus populares et sacros plenius addiscant, praecipue vero, ut de sancto Sacrificio Missae ac de modo eidem participandi, pro eorum captu, penitius instituantur, ac simpliciores cantilenas gregorianas decantare incipiant.

b) Si vero agatur de scholis publicis, legibus civilibus subiectis, studeant locorum Ordinarii aptas dare normas, quibus necessariae puerorum in sacra Liturgia et in cantu sacro educationi provideatur.

107. Quae de scholis primariis seu elementaribus statuuntur, magis adhuc urgenda sunt in *scholis mediis* seu *secundariis,* ut aiunt, quibus adulescentes maturitatem illam consequi deberent, quae ad vitam socialem et religiosam recte ducendam requiritur.

108. Educatio liturgica et musica hucusque descripta altius denique protrahenda est in *maximis* illis *litterarum scientiarumque institutis,* quae « universitates studiorum » appellantur. Summopere enim praestat, ut qui, altioribus studiis absolutis, ad graviora vitae socialis officia assumuntur, pleniorem quoque totius vitae christianae institutionem adepti sint. Adnitantur proinde sacerdotes omnes, quorum curae studentes *universitarii* quomodocumque commissi sunt, hos theoretice et practice ad penitiorem sacrae Liturgiae cognitionem et participationem conducere, adhibita etiam pro iisdem studentibus, prouti rerum adiuncta id permittant, illa sanctae Missae forma, de qua nn. 26 et 31.

109. Si quaedam sacrae Liturgiae et Musicae sacrae cognitio ab omnibus fidelibus requiritur, *iu-*

venes ad sacerdotium contendentes, plenam solidamque institutionem, cum de sacra Liturgia universim, tum de cantu sacro consequantur oportet. Itaque ea omnia quae in Iure canonico de hac re statuuntur (can. 1364, 1°, 3°; 1365 § 2), vel a competente auctoritate pressius ordinata habentur (cfr. praesertim Const. [661] Apost. *Divini cultus* de Liturgia deque cantu gregoriano et Musica sacra cotidie magis provehendis, diei 20 Decembris 1928) [27], adamussim servanda sunt, eorum ad quos spectat onerata conscientia.

110. Religiosis quoque utriusque sexus, necnon sodalibus Institutorum saecularium, inde a probandatu et novitiatu, progressiva ac solida institutio tradatur, tum de sacra Liturgia tum de cantu sacro.

Provideatur insuper, ut in communitatibus religiosis utriusque sexus et in collegiis ab ipsis dependentibus, idonei habeantur magistri, qui cantum sacrum docere, moderari ac comitari valeant.

Curent eorundem Religiosorum et Religiosarum Superiores ut in suis communitatibus, non tantum selecti coetus, sed universi sodales sufficienter in cantu sacro exerceantur.

111. Sunt autem *ecclesiae* quibus *natura sua* competit ut sacra Liturgia una cum Musica sacra peculiari decore ac splendore peragatur, ecclesiae nempe paroeciales maiores, collegiatae, cathedrales, abbatiales, vel religiosae, aut sanctuaria maiora. Qui ecclesiis huiusmodi addicti sunt, sive clerici, sive ministrantes, sive musici artifices, omni

27 *A. A. S.* 31 (1929) 33-41.

cura et sollicitudine adlaborent, ut se aptos et paratos reddant ad cantum sacrum et actiones liturgicas egregie peragendas.

112. Peculiaris denique ratio habenda est de sacra Liturgia et cantu sacro *in exteris Missionibus introducendis et temperandis.*

Distinguendum est in primis inter gentes humana cultura, quandoque millenaria eaque ditissima, praeditas, et gentes altiore cultura adhuc expertes.

His positis quaedam regulae generales prae oculis habendae sunt, scilicet:

a) Sacerdotes qui ad exteras Missiones mittuntur, aptam de sacra Liturgia et cantu sacro institutionem habere debent.

b) Si agatur de gentibus qui propria cultura musica excellunt, studeant missionarii musicam quoque indigenam ad usum sacrum trahere, servatis servandis; pia praesertim exercitia ita disponere satagant, ut fideles indigenae, propria quoque lingua vernacula et modulis genti suae accommodatis religiosum animum pandere valeant. Neque obliviscantur, ipsas gregorianas cantilenas, uti compertum habetur, facili modo quandoque ab indigenis cani posse, quippe quae saepius cum eorum cantilenis affinitatem quandam praeseferant. [662]

c) Si agatur vero de gentibus minus cultis, ea quae supra sub littera *b*) proposita sunt, ita temperare oportet, ut peculiari illarum gentium captui et indoli aptentur. Ubi vero harum gentium vita familiaris et socialis magno sensu religioso imbuatur, sedulam missionarii impendant curam, ut eundem religiosum spiritum non solum non ex-

stinguant, sed potius, superstitionibus depulsis, ope praesertim piorum exercitiorum christianum reddant.

B) De institutis publicis et privatis Musicae sacrae provehendae

113. Parochi ecclesiarumque rectores diligenter curent, ut ad actiones liturgicas piaque exercitia peragenda, praesto sint pueri aut iuvenes aut etiam viri « ministrantes », pietate commendati, de caerimoniis bene edocti, et in cantu quoque sacro ac populari religioso satis exercitati.

114. Propius vero ad sacrum et popularem cantum refertur illud institutum, cui nomen « Pueri cantores », a Sancta Sede pluries laudatum [28].

Optandum profecto ac nitendum, ut omnes ecclesiae proprium habeant chorum puerorum cantorum, qui in sacra Liturgia et praesertim in arte bene et pie canendi egregie instituti sint.

115. Commendatur porro, ut in qualibet dioecesi institutum habeatur seu schola cantus et organi, in qua organici, chori magistri, cantores aut etiam artifices musici rite instituantur.

Consultius quandoque erit, ut tale institutum a pluribus dioecesibus, consociatis viribus, erigatur. Nec omittant parochi vel ecclesiarum rectores, selectos iuvenes ad huiuscemodi scholas dirigere eorumque studia opportune fovere.

---

28 Constitutio Apostolica *Divini cultus*: *A. A. S.* 21 (1929) 28; Litterae encyclicae *Musicae sacrae disciplina*: *A. A. S.* 48 (1956) 23.

116. Valde denique opportuna existimanda sunt altiora illa instituta sive academiae, quae ex professo ad Musicam sacram plenius excolendam ordinantur. Inter vero instituta huiusmodi principem locum tenet Pontificium Institutum Musicae sacrae, a sancto Pio X in Urbe conditum.

Locorum Ordinariis curae sit, aliquos sacerdotes, qui peculiari huius artis facultate et amore praediti sunt, ad praefata instituta mittere, praesertim vero ad urbanum Pontificium Institutum Musicae sacrae.

117. Praeter instituta ad Musicam sacram docendam ordinata, plures conditae fuerunt societates, quae sub nomine S. Gregorii Magni, aut [663] S. Caeciliae, aut aliorum sanctorum, variis modis eandem Musicam sacram excolere sibi proponunt. Ex harum societatum multiplicatione et ex earum consociatione, nationali aut etiam internationali, Musica sacra magna obtinere poterit emolumenta.

118. In unaquaque dioecesi peculiaris *Commissio de Musica sacra,* inde a temporibus S. Pii X, exsistere debet [29]. Huius Commissionis socii, sive sacerdotes sint, sive laici, ab Ordinario loci nominandi sunt, qui viros seligat, in variis Musicae sacrae generibus doctrina et experientia peritos.

Nil prohibet quominus plurium dioecesium Ordinarii Commissionem communem constituant.

Quoniam vero Musica sacra arcte cum Liturgia, et haec cum Arte sacra connectitur, in unaquaque dioecesi *Commissiones* quoque instituen-

---

[29] Motu proprio *Tra le sollecitudini,* diei 22 Novembris 1903; *A. S. S.* 36 (1903-1904) n. 24: *Decr. auth. S. R. C.* 4121.

dae sunt *de Arte sacra* [30] et *de sacra Liturgia* [31]. Nil autem prohibet, immo quandoque consulendum, ut tres memoratae Commissiones non seorsim, sed una simul conveniant et, collatis consiliis, communia negotia pertractare et solvere satagant.

Ceterum, Ordinarii locorum invigilent, ut praefatae Commissiones, prout rerum adiuncta postulaverint, crebrius conveniant; desiderandum quoque, ut his conventibus Ordinarii ipsi quandoque praesideant.

* * *

Hanc de Musica sacra et de sacra Liturgia Instructionem, ab infrascripto Cardinalis S. R. C. Praefecto Ss.mo Domino Nostro Pio Pp. XII subiectam, Sanctitas Sua in omnibus et singulis speciali modo approbare et auctoritate Sua confirmare dignata est, atque promulgari mandavit, ab omnibus ad quos spectat, sedulo servandam.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Roma, ex aedibus Sacrae Rituum Congregationis, die festo sancti Pii X, 3 Septembris anno 1958.

C, Card. Cicognani, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *a Secretis*

---

30 Litterae circulares Secretariae Status diei 1 Septembris 1924, Prot. 34215.

31 Litterae encyclicae *Mediator Dei*, diei 20 Novembris 1947: *A. A. S.* 39 (1947) 561-562.

COMMENTARIUM

In hoc commentario semper prae oculis habemus monitum Litt. Enc. *Mediator Dei et hominum* (AAS 39 [1947] 552):

Expedit igitur, Venerabiles Fratres, christifideles *omnes* animadvertant summo sibi officio esse summaeque dignitati Eucharisticum participare Sacrificium; idque non quiescenti neglegentique animo et ad alia excurrenti atque vaganti, sed tam impense tamque actuose ut cum Summo Sacerdote arctissime coniungentur secundum illud Apostoli: « Hoc ... sentite in vobis, quod et in Christo Iesu » (*Philipp.* II, 5); atque una cum ipso et per ipsum illud offerant, unaque cum eo se devoveant.

Ergo hoc commentarium principaliter fit secundum principia scientiae ac experientiae *pastoralis*.

In unoquoque capite existit conspectus numerorum Instructionis.

In capite 1° explicatur natura instructionis eiusque approbationis, dum adiunguntur notae de consuetudinibus ac de interpretatione Instructionis.

Caput 2um tractat Musicam sacram et Musicam religiosam. Agitur de methodo Instructionis, de natura Musicae sacrae et religiosae, de cantu gregoriano, de cantu populari, de polyphonia sacra et musica sacra moderna.

In capite 3° quaestio est de schola cantorum.

Caput 4um agit de problemate difficili linguae latinae ac linguae vulgaris. Tractantur doctrina

Pii XII, doctrina Episcoporum, normae Instructionis, et adicitur conclusio.

Caput 5um tractat modos quibus fideles Missae participare possunt. Proponuntur principium fundamentale, doctrina experientiae, Missa in cantu, Missa lecta cum fidelium participatione individuali, Missa lecta cum fidelium participatione communitaria sive in lingua vulgari sive in lingua latina, problemata Canonis Missae, Commentator, Diffusiones televisificae ac radiophonicae.

Caput 6um est conclusio commentarii.

1. De natura instructionis eiusque approbationis

1. Instructio, iuxta doctrinam communem canonistarum, de se indicat normam simpliciter *declarativam,* cuius directio servanda est potius quam est urgenda litteralis observatio. Scopum instructionum SS. Congregationum clare definit Motu Proprio Benedicti XV, 15 Septembis 1917: « Ordinarium igitur earum (Congregationum) munus in hoc genere (decretorum generalium) erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum Instructiones, si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant. Eiusmodi vero documenta sic conficiantur, ut non modo sint, sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur »[1]. Instructiones ergo sunt

[1] AAS 9 (1917) 483.

interpretativae, non iuris dubii, sed clari in se; simul sunt *exsecutivae,* seu maiorem efficientiam pariunt et *completivae.* Non possunt tamen derogare legi quam complent, et si quaedam cum lege componi nequeunt, lex quamvis anterior instructioni praeferenda est[2]; suppressa autem lege, instructio, quasi accessoria, simul cum principali desinere debet[3].

2. APPROBATIO huius instructionis est *in forma specifica,* nam eam « Sanctitas Sua (PIUS XII) in omnibus et singulis speciali modo approbare et auctoritate Sua confirmare dignata est, atque pro-

---

[2] V. g. non derogatur lex, secundum quam oratorium privatum non est locus sacer (cfr. C.I.C. can. 1154 et can. 1196), etsi Instructio in numero 11, ubi indicat, quomodo vox « ecclesia » in hac Instructione intelligenda est, dicit: « Denique, voce ' ecclesiae ' ordinarie comprehenditur omnis ' locus sacer ', id est: ecclesia sensu stricto, oratorium publicum, semipublicum, privatum (cfr. can. 1154, 1161, 1188), nisi ex contextu de solis ecclesiis sensu stricto agi eluceat ». — Quia in Decreto S. C. Rituum diei 1 Iunii 1957, *De Tabernaculo ad Ssmam Eucharistiam adservandam* (AAS 49 [1957] 425-426) nulla declaratio specialis existit de significatione vocis « ecclesia » in hoc decreto, « ecclesia » ecclesiam sensu canonico tantum significat; cuius normae utique, vi canonis 1191 § 1, etiam oratorio, at publico tantum, applicandae sunt. Normas receptas interpretationis neglexit *ab* in EphLit 72 (1958) 217: « Vocabulum ' ecclesia ' in decreto circa tabernaculum comprehendit omnia loca cultus ac proinde respicit omnia tabernacula ubicumque inveniantur. Nulla ergo in decreto habetur omissio neque intentionalis, neque praeterintentionalis ».

[3] A. VAN HOVE, *Commentarium Lovaniense in Codicem Iuris Canonici.* Volumen I. - Tomus I. *Prolegomena.* Editio altera auctior et emendatior. Mechliniae-Romae, H. Dessain, 1945, p. 75. - Gratias agimus Rev.mo Patri L. BUIJS S. J., Professori in facultate iuris canonici Pont. Univ. Gregor., qui nos certiores reddidit de argumentis iuridicis, quae ad Instructionem pertinent.

mulgari mandavit, ab omnibus ad quos spectat, sedulo servandam ». Quod attinet ad vim generalem Actorum quae a S. Congregationibus prodeunt, hae distinctiones secundum doctrinam communem canonistarum prae oculis habendae sunt:

A. *Sunt Acta ipsius Summi Pontificis* ac supremum obtinent gradum firmitatis, qui est proprius ipsius Pontificis Supremi:

a) Acta quae prodeunt ex concessione directe et immediate facta ab ipso Romano Pontifice, *ex mandato seu auctoritate speciali* Summi Pontificis. Licet enim Acta prodeant mediante Sacra Congregatione, revera sunt Acta ipsius Summi Pontificis.

b) Acta quae fuerint approbata vel confirmata a Romano Pontifice *in forma specifica*: ab ipso enim Papa assumuntur et sua fiunt, additis verbis ex. gr.: « motu proprio atque ex certa scientia ».

B. *Sunt Acta ipsius S. Congregationis* ac substantialiter eum valorem ac firmitatem nanciscuntur, quam ex auctoritate ipsius S. Congregationis pro materia sibi concredita recipiunt:

a) Acta a Romano Pontifice confirmata *in forma communi*: ea scilicet a S. Congregatione emittuntur, et nonnisi aliquam maiorem firmitatem accidentalem assequuntur ex confirmatione pontificia.

b) Acta quae sola auctoritate S. Congregationis vel vigore facultatum ordinariarum ab ipsa prodeunt, sive haec emittantur a *plena congregatione* Cardinalium, vel a *congressu* tantum administratorum maiorum huius S. Congregationis, aut

etiam ab *uno singillatim* ex moderatoribus: Cardinali Praefecto, Secretario vel Subsecretario [4].

Approbatio in forma specifica naturam ipsam documenti non mutat, sed instructioni, prout est instructio, afficit supremum gradum *firmitatis,* qui est proprius ipsius Pontificis Supremi. Praeterea approbatio in forma specifica non augmentat intrinsecam *perfectionem* instructionis quae, prout est opus humanum, supremum gradum perfectionis non per se gaudet sed maiorem minoremve admittit gradum perfectionis, prout est ipsa virtus operis confecti.

Rationem, cur Pius XII hanc instructionem modo speciali suam fecit, indicat titulus: « De musica sacra et sacra liturgia *ad mentem* litterarum encyclicarum Pii Papae XII *Musicae sacrae disciplina* et *Mediator Dei* ».

3. Consuetudines legitimae existentes manent, futurae non prohibentur, quia deest clausula revocatoria et reprobatoria.

4. Interpretatio Instructionis fieri debet ad mentem Litt. Enc. *Mediator Dei et hominum* [5] et Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina* [6], ne a vera ac germana Sacrae Liturgiae notione ac sententia aberremus sicut ii auctores, « qui eam (= liturgiam) utpote divini cultus partem iudicent externam solummodo ac sensibus obiectam, vel quasi decorum quemdam caerimoniarum apparatum;

---

[4] G. Vromant C.I.C.M., *Ius Missionariorum. De personis.* Editio altera aucta et recognita. Louvain, Museum Lessianum, 1935, p. 33-34.

[5] AAS 39 (1947) 521-600.

[6] AAS 48 (1956) 5-25.

(aut) qui eam veluti meram legum praeceptorumque summam reputent, quibus Ecclesiastica Hierarchia iubeat sacros instrui ordinarique ritus »[7]. Tali interpretationi erroneae occasionem praebere posset Instructio, invita, propter suam immensam materiam et ratione suarum rubricarum, quae non raro usque ad res minutas descendunt.

2. Musica sacra, Musica religiosa

CONSPECTUS ANALYTICUS REPERTORII MUSICI IN INSTRUCTIONE:

1. *Cantus Gregorianus*: In genere (5, 16, 96e) — De fidelium participatione in Missis in cantu (24-27) — De Missa « conventuali », quae etiam Missa « in choro » appellatur (35-37) — De Officio Divino (40-46) — De libris cantus liturgici (56-59) — In exteris Missionibus (112).

2. *Cantus Popularis*: In genere (9, 51-53, 114) — In liturgia (9, 19, 51, 104-106, 113; 14b, 30, 33, 14a) — In piis exercitiis (9, 19, 51, 104, 105, 112, 113) — In vita pia (9, 51, 105).

3. *Polyphonia sacra* (6, 17, 21a, 48, 49).

4. *Musica sacra moderna* (7, 18, 21a, 50).

5. *Musica religiosa* (10, 20, 54, 55).

6. *Instrumenta musica, speciatim organum*: Principia quaedam generalia (60) — Relatio cum cantu gregoriano (5) — In Missa (27e, 29) — De tempore quo instrumentorum musicorum sonus prohibetur (80-85) — Organum (8, 61-67) — Alia instrumenta musica (68-70) — Machinae automaticae (71-73).

1. METHODUS INSTRUCTIONIS. In Instructione nulla notio invenitur de ipsa natura « musicae sa-

[7] AAS 39 (1947) 532.

crae ». Praeterea Instructio nihil aliud agit quam describere repertorium musicae sacrae ac religiosae, sicut nobis traditum est, et quidem secundum definitiones, quae dicuntur descriptivae initiales nominales, et non secundum definitiones essentiales; aliis verbis repertorii « musicae sacrae » indicat diversa obiecta materialia, nam nihil aliud intendit quam praesentationem catalogi musicae, ut secundum divisionem materiae suas directiones practicas ordinet. Propterea primo nos introducit, ut ita dicam, in bibliothecam, cuius ingressui inscriptum est nomen « Musicae sacrae »; quod nihil aliud significare vult quam « musicam de rebus sacris »; deinde nobis in hac bibliotheca demonstrat sex armaria, in quibus libri musici, sexies partiti, positi sunt: « Sub nomine ' Musicae sacrae ' hic comprehenduntur: *a*) Cantus gregorianus, *b*) Polyphonia sacra, *c*) Musica sacra moderna, *d*) Musica sacra pro organo, *e*) Cantus popularis religiosus, *f*) Musica religiosa » (*Instr.* 4).

Deinde Instructio nos ponit ante unumquodque armarium et nobis uniuscuiusque classis musicae diversas directiones practicas communicat, quod utique est scopus ultimus Instructionis:

a) Primum armarium continet *libros gregorianos,* qui adhibendi sunt in actionibus liturgicis (h. e. in actionibus quae in libris liturgicis exhibentur; ergo quoque « actio liturgica » secundum obiectum materiale describitur, cfr. *Instr.* 1, 12, 21); usus cantus gregoriani normae directivae indicantur, praesertim quod attinet ad usum linguae latinae et ad eius usum a populo.

b) et *c*) Secundum et tertium armarium continent *libros polyphoniae ac musicae modernae,* qui in actionibus liturgicis adhibentur; normae directivae praesertim agunt de utriusque musicae digna exsecutione.

d) Quartum armarium continet *libros musicae pro organo,* qui in actionibus liturgicis adhibentur; huius classis normae directivae multae sunt; quoque normae adduntur de usu aliorum instrumentorum musicorum.

e) Quintum armarium continet multitudinem *libellorum cantus popularis,* qui in pietate religiosa ac in exercitiis piis adhibentur sed quandoque in ipsis actionibus liturgicis admittuntur; normae directivae sunt diversae speciei.

f) Sextum armarium continet *libros musicae religiosae,* quae in actionibus liturgicis adhiberi non licet.

Ergo, si tali modo materia consideratur, nullae difficultates existunt. Sub nomine « Musicae sacrae » duae species musicae continentur, scilicet musica quae in liturgia adhibetur et quae propterea iterum « sacra » dicitur, et musica quae in liturgia non adhibetur et quae « religiosa » dicitur; de hac altera specie autem notandum est, quod cantus popularis religiosus quandoque in actionibus liturgicis admitti potest.

Praeterea in descriptione uniuscuiusque classis apposita sunt epitheta ornantia, quae earum historiam ac pulchritudinem laudant secundum terminologiam in hoc negotio iamdiu usitatam.

Omnino necessarium est, hanc mentem Instructionis bene perspectam habere. Si quis Instructionem exponere vellet non ex intentione eius practica, sed adhibitis principiis scientiae musicae, difficultates inenodabiles sibi et aliis crearet.

2. De natura Musicae sacrae et religiosae. Utique ut normae directivae plenius perspiciantur, perutile erit recurrere ad nonnullas notiones genericas, quas scientia musica nobis praebet. In Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina,* etsi nobis completam doctrinam systematicam scientiae musicae non proponit, pretiosae notae adsunt de essentia musicae sacrae ac religiosae. Unusquisque, qui huius argumenti ignarus non est, bene scit, disputationem scientificam nondum finitam esse quod attinet ad quaestionem, quomodo ars sacra, ars religiosa et ars profana essentialiter inter se distinguuntur.

Ut per se patet, *obiectum materiale artis religiosae* est res religiosa. Hodie non pauci docent, quod in arte obiectum religiosum tractari posset quoque modo profano. Hoc autem omnino impossibile est, nam tractatus profanus obiecti religiosi per se est profanatio sive corruptio obiecti religiosi [8].

Quidquid sit de ulteriore elaboratione huius problematis, omnino admittendum est, quod *inter artem profanam et artem religiosam vel sacram existit distinctio essentialis;* sana ars religiosa vel sacra animam ad Deum elevat ratione suae religiositatis.

---

[8] Vide i. a. Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina*: AAS 48 (1956) 11.

Quomodo nunc ars religiosa et ars sacra se habent inter se? Dicendum est, *artem sacram esse artis religiosae speciem,* quae data opera ad cultum divinum ordinata est. « Religiosum » enim est, quod in genere vitam hominis in Deum ordinat, ergo quod in genere ab usu profano segregatum est. « Sacrum » est, quod tali modo ab usu profano segregatum est, ut ad servitium et cultum Dei deputetur vel applicetur.

Si obiectum materiale consideratur, res facilis videtur, nam obiectum artis religiosae est religio in genere, dum obiectum artis sacrae est cultus divinus; hac distinctione enim nihil aliud fit ac enuntiatio facti, quod non unumquodque opus artis, quod obiectum religiosum tractat, eo ipso opus artis sacrae est, h. e. ad usum in cultu divino accommodatum. Quae est ratio intrinseca huius facti?

In utraque arte duplex finis habetur, scilicet delectatio aesthetica (quia est ars) et explicita ordinatio in Deum sive explicitus honor Dei (quia est religiosa aut sacra). *Artis religiosae finis principalis* (h. e. finis qui directe et primarie intenditur) est delectatio aesthetica et *finis secundarius* (h. e. finis qui concomitanter et ex consequenti intenditur) explicitus honor Dei. *Artis sacrae finis principalis* est cultus divinus et *finis secundarius* delectatio aesthetica. Propterea ars religiosa est independens et intendit suam perfectionem in plena evolutione artis; ars sacra dependet a cultu divino et intendit talem perfectionem, qualis cultui divino aptissima est. Breviter: ars religiosa

est domina; ars sacra est ministra vel serva cultus divini [9].

Quia cultus christianus habet tres species, scilicet liturgiam, exercitia pia et vitam piam, earum musica quoque ulteriorem specificationem exigit. Variis autem modis illae divisiones fiunt:

a) Nomen « musicae sacrae » stricte reservatur musicae liturgiae. Propterea « musica religiosa » admittit plures divisiones, scilicet musicam exercitiorum piorum, musicam vitae piae, musicam concentuum. In Instructione haec divisio videtur vigere, nam « musicam sacram » dicit illam musicam quae in actionibus liturgicis adhibetur, dum musicam religiosam, quae extra actiones liturgicas existit, simpliciter sine ulla ulteriore distinctione exornat voce « musicae religiosae ». In hoc modo distinguendi manifestatur tendentia, ut repertorium musicae liturgicae, sicut nobis antiquitus traditum est, ab omni labe aliena salvetur. Tamen Instructio inter species « musicae liturgicae » admittere debebat ex hodierna evolutione vitae liturgicae labem alienam, scilicet « cantum popularem religiosum » (cfr. *Instr.* 9, 19, 51 et 104). Praeterea Instructio in exercitiis piis admittit « musicam religiosam » (*Instr.* 20), sed, quia « musicam religiosam » ulterius non distinguit, rogatur, quae « musica religiosa » in piis exercitiis admitti possit, nam dicit, sedes proprias ad opera musica religiosa disponenda esse auditoria ad concentus musicos destinata (*Instr.* 55).

---

[9] Ut nobis videtur, haec doctrina, musicae applicata, habetur in Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina*: AAS 48 (1956) 12-13.

b) Nobis placet divisio, quae ex ipsa natura musicae procedit. Primo fit divisio principalis inter *musicam religiosam* (quae explicite in Deum Eiusque honorem ordinata est) et *musicam profanam* (quae hanc ordinationem explicite non profitetur). Deinde in musica religiosa distinguitur *musica sacra* (cuius finis principalis est cultus divinus et finis secundarius delectatio aesthetica) et *musica simpliciter religiosa* (cuius finis principalis est delectatio aesthetica et finis secundarius explicitus honor Dei). Tandem aliquando musica sacra distinguenda est secundum varias species cultus christiani ita, ut oriantur subdivisiones: *musica liturgiae, musica exercitiorum piorum, musica vitae piae*. Si hoc modo « musica sacra » consideratur, hoc quod est principale, scilicet cultus sive sacralitas, quoque in divisione primatum tenet. Praeterea sic distinguendo quoque mutuus influxus specierum musicae sacrae in perspicuo ponitur, nam hic influxus existit realiter, sicut liturgia, exercitia pia et vita pia, etsi realiter inter se distinguuntur, etiam inter se cohaerent. Hodiernae actionis liturgicae causa, liturgia recuperavit suam vitalitatem plenam eaque de causa non raro ad exercitia pia et vitam piam (quae in mediis viis vitalitatis versantur) recurrit tanquam ad exempla vitalitatis. Sic intelligitur, quomodo in provincia musicae sacrae cantus popularis, qui in exercitiis piis floret, liturgiam invadit: hoc phenomenon enim musicae sacrae gratum non est, prout est « ars » quae suam puritatem intendit, sed musicae sacrae congruit, prout est « sacra » quae exigentiis cultus divini principaliter inservit. Vice versa etiam

musica liturgica exercitia pia et vitam piam notabiliter invadit, sicut experientia quotidiana iamdiu demonstrat.

Hodie non raro dicitur, musicam sacram qualificari sua *functionalitate* erga cultum divinum. Musica sacra enim structurae cultus divini se accommodare debet, quam nunquam in suas vias proprias cogere potest; musica sacra « verbum divinum » servit et nunquam verbum servum modulationis facere potest. De hac functionalitate agit *Instr.* 21.

Ut per se patet, saepius valde difficile est, in concreto indicare, quomodo in eo, quod sub nomine « Musicae sacrae » editum est, natura intrinseca musicae sacrae actuata sit. Sine ullo dubio, in ipsa specie musicae sacrae admittendi sunt multi gradus perfectionis, immo non raro perdifficile est iudicium, utrum opus musicum, secundum suam naturam intrinsecam, pertineat ad musicam sacram an ad musicam simpliciter religiosam. Praeterea in musica sacra concrete existunt duae tendentiae, quae a via media recti ordinis musicae sacrae recedunt: tendentia ad nimiam perfectionem artis secundum plenam evolutionem musicae purae (quae tendentia inter viros musicos observatur), et tendentia ad falsam artem sacram sentimentalismi, sensualitatis, mollitiae, academismi, etc. (quae tendentia inter vios « pios » et mercantes, artis ignaros, observatur).

3. Cantus Gregorianus in Ecclesia Romana est praecellens ac praeclara musica sacra et liturgica; est iudicium universale omnium generationum et optimorum virorum musicorum. Hic cantus

essentialiter sacer et liturgicus est ob id ipsum, quod iam antiquitus ex genuina communitate liturgica spontanee enatus est eaque de causa puro spiritu liturgico imbutus est. Omnia membra communitatis liturgicae secundum ordinem hierarchicum episcopi, presbyterorum, diaconi, subdiaconi, lectorum, acolythorum ac populi, prout structurae cultus ac uniuscuiusque muneri proprio conveniebat, decantabant verbum Dei, ut hoc verbum maiore splendore eniteretur et maiorem efficacitatem haberet; propterea cantus gregorianus semper est serva actionis liturgicae et ministra verbi Dei. Ut per se patet, ratione eius indolis liturgicae, cantus gregorianus praecipue est cantus popularis et quidem secundum intimam structuram cantus popularis, quae ad cantum totius populi praeeundum, dirigendum ac sustentandum naturaliter requirit cantum sive solistarum sive scholae cantorum; propterea propter cantum totius populi statim instituebantur solistae, schola cantorum eorumque cantus speciales. Non solum quia cantus gregorianus textibus liturgicis subiectus est, sed etiam quia maior pars eius repertorii ad populum pertinet, antiquitus eius modulationes simplices erant; sine ullo dubio psalmodia dicenda est cantus gregoriani pars principalis ac nucleus.

Postea in cantu gregoriano habebatur evolutio, quae ab una parte virtutem pure artisticam eius augmentabat, ab altera autem parte eius vim liturgicam aliquomodo deminuebat. Apud viros musicos enim existit tendentia naturalis, ut musicam a populo ad se arripiant ipsumque cantum artificiosiorem ac elegantiorem reddant. Propter

multas rationes, inter quas apud non-romanos ignorantia linguae latinae eminebat, populus cantui gregoriano minus participare incipiebat.

Hoc saeculo cantus gregorianus in non paucis regionibus suam vim popularem plus minusve recuperavit. Procul dubio, populum ad cantum gregorianum reducere, est labor immensus, qui perseverantiam continuam ac patientiam robustam exigit; difficultatem huius muneris pastoralis probant tot documenta S. Sedis, quae iterum iterumque virtutem cantus gregoriani apud clerum et populum defendere et commendare debent. Si nos licet loqui ex diuturna experientia inter populum, hanc observationem enuntiare possumus. Qui magnam aestimationem cantus gregoriani habet et simul, perseverantia ac patientia, media paedagogiae adhibet, communitates populi ad cantum gregorianum perducere potest, immo decursu temporis minimum repertorii, quod in *Instr.* 25b indicatur, faciliter transcendere potest. Praeterea firmiter retinendum est, quod usus cantus gregoriani necessarius est ad populi formationem liturgicam et culturam religiosam.

Ut unusquisque in hoc arduo munere pastorali bene succedat, non tantum iuvat repetitio laudis ac panegyrici cantus gregoriani sed etiam requiritur sincera cognitio hodierni problematis gregoriani, sicut in realitate concreta existit. Hodiernum repertorium cantus gregoriani magis ad musicae peritos quam ad populum pertinet ratione eius evolutionis historicae; praeterea nobis imperfectum traditum est, sicut scientia docet non tantum quod attinet ad rythmum sed etiam quod attinet ad mo-

dulationes [10]. Populus hodiernus difficulter suam facere potest antiquam culturam cantus gregoriani, nam pauci pervenire possunt ad talem educationem culturalem, qualem vera aestimatio cantus gregoriani supponere debet (clerus et musicae periti huius facti faciliter obliviscuntur) et hodierna musica, quam populus cotidie audit ac cantat, non ducit ad aestimationem cantus gregoriani; immo ipsi periti, qui etiam cantum gregorianum cotidie canunt, plenitudine spiritus gregoriani imbuti esse non videntur, sicut probant eorum compositiones gregorianae festorum recentium, quae non raro in scientificis dissertationibus cantilenae gregorianae adsimulatae et artificialiter fabricatae dicuntur [11]; contra veram aestimationem cantus gregoriani apud populum hodiernum est factum, quod ei placent istae cantilenae gregorianae, quae recentius compositae melius dicuntur cantus musicae modernae quam gregorianae. Ergo problema cantus gregoriani non tantum existit in populi ignorantia linguae latinae. Hodie non pauci periti in repertorio historico cantus gregoriani quaerunt eius formam originalem romanam, ut tandem aliquando genuina eius vis popularis detegatur. Eadem de causa hodie forma psalmodiae maxime propagatur, ut populus cantui gregoriano participet.

---

10 Vide v. g. dissertationem analyticam historicam cantus gregoriani in Hebdomada Sancta, a clarissimo Helmut Hucke conscriptam in libro nostro *Hebdomada Sancta*. Romae, Herder, 1956-57, p. 901-950.

11 Cfr. v. g. cantum gregorianum Missae Chrismatis feria V in Cena Domini. Vide quoque monitum in Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina*: AAS 48 (1956) 15-16.

4. Cantus Popularis. Quia « cantus popularis religiosus est ille cantus, qui sponte sua a religioso sensu oritur » (*Instr.* 9), etiam a religioso sensu communitatis liturgicae ortus est cantus sacer et liturgicus, cuius pars principalis est cantus popularis. De cantu gregoriano, prout est genuinus cantus popularis sacer et liturgicus, iam egimus. Etiam indicavimus rationes, cur « popularitas » cantus gregoriani decursu temporis deminuta est. Hoc saeculo Renascentiae liturgiae « popularis », ut per se patet, quoque cantus gregorianus suam popularitatem recuperavit. Eodem tempore autem, ratione circumstantiarum modernarum sed praesertim propter graves difficultates quibus populus hodiernus erga cantum gregorianum obnoxius est (etsi hoc dolendum est, tamen negari non potest), naturaliter ac necessario ortae sunt, quod attinet ad cantum popularem liturgicum, novae tendentiae, nam liturgia est vitalis ac non examinis, et quoque in actionibus liturgicis populus vult cantare tales « cantus, qui sponte sua a religioso sensu oriuntur, quo humana creatura ab ipso Creatore ditata fuit » (*Instr.* 9). Quia naturae vi ac violentia obsistere non licet, Ecclesia sapienter ac prudenter in ipsis actionibus liturgicis cantum popularem lingua vulgari prolatum iam admittit, ut et ipsa Instructio scienter notat. Ut per se patet, ille cantus popularis, lingua vulgari prolatus et in actionibus liturgicis admissus, cantus popularis sacer ac liturgicus iure meritoque dicitur.

Tamen quod attinet ad cantum popularem liturgicum, non pauca problemata solvenda sunt. Iam per multa saecula existunt ubique cantus po-

pulares religiosi, sed quia propter exercitia pia et vitam piam compositi sunt, actionibus liturgicis plus minusve inepti sunt. Sine ullo dubio, cantus popularis exercitiorum piorum ac vitae piae principaliter intendit honorem Dei, sed alio modo ac liturgia. In exercitiis piis ac in vita pia « honor Dei » magis subiective ac individualiter consideratur, dum liturgia « honorem Dei » praecipue obiectivum et communitarium intendit. Propterea maior pars cantus popularis et in textibus et in musica usui liturgico plus minusve inepta dicenda est, etsi non raro in Missis lectis adhibetur. Haec est ratio, cur hodie ubique in votis est creatio veri cantus popularis liturgici, lingua vulgari prolati [12]. Hodie ubique quaestio est de intrinseca natura cantus popularis, qui in actionibus liturgicis iuridice admittitur; aliis verbis, cantus popularis, in liturgia admissus, liturgia dignus esse debet. Propterea hodie ubique tales textus lingua vulgari componuntur, qui liturgiae apti sunt (*Instr.* 30: « Providendum, ut et precationes et cantus singulis Missae partibus apprime congruant »; *Instr.* 33: « singulis Missae partibus plane congruant »); propterea hodie in cantu populari psalmodia iterum in honore est; propterea hodie modulationes cantus popularis componuntur, ex gregorianis concentibus ortae,

---

12 De hoc problemate iam egimus anno 1954 in *Periodica* 43 (1954) 322-333, *Motus liturgicus et musica sacra*; etsi unus alterve in has notitias vehementer invexit, nunc post Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina* et post Instructionem perspicuum est, propter admissionem cantus popularis in actionibus liturgicis problema de huius cantus natura ac compositione realiter existere.

sicut ipsa polyphonia sacra « ex gregorianis concentibus orta » est (*Instr.* 6).

Procul dubio, quod attinet ad cantum popularem sicut realiter in actionibus liturgicis admittitur, multae res revera ineptae sunt et multa desideria existunt. In non paucis regionibus hodie cantus popularis profanus florem recuperavit, dum in ecclesiis miserabiles cantus populares exhibentur. Quamobrem omnino necessarium est, ut in catholicis institutis musicis tales musicae periti excolantur, qui veros cantus populares liturgicos componere possint. Mirum est enim, quod non pauci musicae sacrae compositores magis propensi sunt ad Missas polyphonicas etc. quam ad musicam totius populi. Iis imprimis necessarius est hodiernus spiritus liturgicus, sicut in moderna Renascentia Liturgiae promovetur, ut hoc spiritu imbuti realiter vitam liturgicam populi augeant compositionibus quae traditionem magnificam cantus gregoriani persequantur. Cantus gregorianus enim sic vitalis est, ut non tantum repeti possit sed etiam virtutem habeat procreandi novas formas et fecundandi hodiernum cantum popularem.

In hoc negotio difficili compositores prae oculis habeant observationem perutilem Instructionis, scilicet quod lingua cantus gregoriani est unice lingua latina (*Instr.* 16 a). Hodie enim nonnulli proponunt modum, secundum quem textus vernaculi cantantur simpliciter modulatione gregoriana. Sic autem agendo graviter laedunt ipsam naturam artisticam cantus gregoriani. Sicut iam diximus, cantus gregorianus modo perfecto est servus vel minister verbi divini. Hac de causa ipse rythmus lin-

guae latinae codeterminat rythmum cantus gregoriani. Propterea rythmus linguae vulgaris, in genere, non congruit rythmo cantus gregoriani. Hoc perspicuum est in psalmodia gregoriana, quae perfectione magna rythmum psalterii latini observat. Si psalterium lingua vernacula conversum cantaretur psalmodia gregoriana, oriretur monstrum artisticum. Ergo « pro cantu populari quaerere inspirationem a parte cantus gregoriani » idem non est ac « scribere textus vernaculos sub modulatione gregoriana ». Sicut polyphoniae sacrae pars melior « ex gregorianis concentibus orta » est (*Instr.* 6), ita quoque ex eodem fonte oriri deberet talis cantus popularis, qualis apprime congrueret « Missae lectae cum fidelium participatione communitaria in lingua vulgari », ab *Instr.* 30 commendatae.

5. Polyphonia Sacra et Musica Sacra Moderna. Hodiernae Renascentiae liturgiae popularis causa, usus polyphoniae ac musicae modernae non leviter imminutus est et festis solemnioribus ac manifestationibus religiosis magis terminatus. Huius facti existit quoque alia causa non levis momenti. Olim populo oratorium quoque auditorium erat: in ecclesiis enim meliores cantores paroeciae ardenter operam dabant musicae, pluribus consertae vocibus, et admirationem familiae ac amicorum excitabant. Hodie autem illud studium apud populum non leviter imminutum est, quia cantus popularis profanus florem recuperavit, sed praesertim quia unusquisque nunc ope radiophoniae et televisionis optimas exsecutiones musicae sacrae ac religiosae audire ac videre potest. Hae sunt ra-

tiones, cur hodie « crisis » orta est in multis choris musicis, qui olim studium populi excitabant et multos viros delectatione alliciebant.

Ut per se patet, polyphonia sacra et musica sacra moderna non eandem perfectionem liturgicam habent ac cantus gregorianus et cantus popularis; magis enim attendunt delectationem aestheticam. In genere, polyphonia sacra musicam sacram modernam qualitate liturgica superat, etsi multa opera optima non ex gregorianis concentibus sed ex cantibus popularibus, immo ex carminibus amoris, orta sunt. In musica sacra moderna existunt multa opera, quae vix voce artis digna sunt, nam sentimentalismum vulgarem appetunt. Omnes qui spiritu liturgico imbuti sunt, bene sentiunt, utramque musicam plus minusve disturbare aequilibrium ac harmoniam ipsius liturgiae, nam in utraque latet tendentia cuiusdam independentiae. Omnibus notum est, quomodo tempore praeterito locutio communis erat: concentus musicus cum assistentia liturgica. Etiam notum est ex vitis sanctorum, quod homines spirituales has Missas musicales frequentare nolebant, ne eorum pietas disturbaretur.

Totalis improbatio pompae liturgicae esset exaggeratio, nam diebus festis et occasionibus sollemnibus convenienter permissa est. Etiam pompa liturgica pietatem ac sensum religiosum excitat, etsi delectatio aesthetica splendoris solemnioris praevalet.

3. Schola Cantorum

Vide Instructionem 93, 99, 100 et 114.

Quod attinet ad munera liturgica, quae infra munus sacerdotis celebrantis existunt, Ordines minores, clericatum, laicatum, eorumque relationes mutuas, adhuc magna confusio existit in scientia. Ratio est, quia modo recentissime fontes principales horum argumentorum scientifice editi sunt [13].

1. Quod attinet ad cantores in actionibus liturgicis, primo notare debemus nonnullas observationes, quae evidentes videntur, sed quae non raro in dissertationibus musicis praetermittuntur.

In liturgia facultas sive *potestas cantandi* omnino non oritur ex potestate Ordinis sed ex potestate naturae humanae; propterea nemo suam potestatem physicam cantandi delegare potest homini, qui hanc potestatem non habet.

In liturgia *exercitium cantandi* pertinet ad omnes personas quae in sacra liturgia partes habent, ergo ad sacerdotem celebrantem, ad ministros sacros, ad ministros minores, ad fideles.

---

13 M. ANDRIEU, *Les Ordines Romani du haut moyen âge* (= Spicilegium sacrum Lovaniense, 24 et 28). Louvain, Tome III 1951 et Tome IV 1956 (de Ordinibus minoribus agunt Ordines Romani XXXIV-XXVI). — Optimum tractatum de Ordinibus minoribus scripsit W. CROCE S. J., *Die niederen Weihen und ihre hierarchische Wertung*: ZeitschrKathTheol 70 (1948) 257-314. — De historia scholae cantorum videnda est dissertatio Josephi PEIROLO, *La Schola Cantorum e il canto del popolo nella primitiva liturgia* (= Dissertatio ad lauream in facultate theologica Pont. Univ. Gregor.). 1957. 344 p. (ampla bibliographia adest).

In liturgia romana cum diversis *muneribus* liturgicis coniunctae sunt *ordinationes,* scilicet presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, lectoratus, acolythatus (de ostiariatu et de exorcistatu quaestio non est).

2. Iam antiquitus in liturgia romana existit schola cantorum (ad quam solistae etiam pertinent). *Schola cantorum instituta est non ratione ministrorum sed ratione fidelium*: hoc perspicue probat antiquus cantus gregorianus. Responsa ministrorum omnia pertinent ad fideles et non ad scholam cantorum; omnes cantus scholae pertinent ad cantum fidelium praeeundum, dirigendum ac sustentandum, sicut probant Ordinarium Missae et Proprium Missae, nam in omnibus partibus scholae aliqua participatio fidelium requiritur [14]. Bene notandum est hoc munus communitarium scholae cantorum, nam eius cantus intendunt auditum et responsum fidelium. Hoc etiam cohaeret cum perfectione cantus popularis, nam plerumque requirit solistas [15]. Ergo non licet considerare scholam cantorum in liturgia tanquam ens in se, fidelibus exclusis; haec forma independens orta est amplificatione artistica cantus gregoriani, polyphonia et musica moderna.

3. *Qui sunt cantores scholae?* Ut per se patet, primum criterium est capacitas vocis, ergo canto-

---

[14] Probabiliter exceptis *Graduale* et versu *Alleluia,* quae partes principaliter ad solistas pertinebant, quibus fortasse schola et non populus respondebat.

[15] Modernus cantus popularis profanus regressus est ad hanc formam communitariam; cantus popularis, in quo unusquisque totum cantat, est magis individualis.

res scholae sunt ii qui meliorem potestatem physicam cantandi habent.

Ex quibus selecti sunt cantores meliores? Historia respondet: ex subdiaconis, lectoribus, acolythis, viris et pueris.

Liturgia romana admittit *munus cantoris* sed non *ordinationem cantoris*; etiam hodie cantoratus ad Ordines minores non pertinet.

4. *Debentne cantores scholae esse clerici* per se in liturgia romana? Antiquitus haec quaestio non existebat, nam clericatus originem ducebat ex Ordinibus. Postea ortus est clericatus ab Ordinibus distinctus, sicut hodie ritus *de clerico faciendo* adhuc extra Ordines existit. Origo huius clericatus praesertim dependet ab evolutione monachismi in Occidente, ut videtur, nam monachi in Ordinibus non erant sed clericatum desiderabant propter privilegia etc. Historia docet, clericatum exercitio muneris cantoris in liturgia necessarium numquam fuisse. Ab altera autem parte, saepissime quaestio est de cantore (etiam puero) clerico faciendo, praesertim quia schola cantorum conscribebatur ex candidatibus sacerdotii; si cantores adulti erant clerici, saepe documenta dicunt, eos matrimonium inire posse. Sed in toto Medio Aevo evidens est, cantores scholae non per se fuisse clericos.

Hodie in fine Pontificalis Romani existit ritus *de officio psalmistatus*, qui probabiliter ex ritu gallicano assumptus est. In hoc ritu hodierno etiam distinctio fit inter cantorem « laicum » et cantorem « clericum », sicut distinctio ministri (sacerdos propter cantorem laicum, episcopus propter cantorem clericum) indicat:

Psalmista, id est Cantor, potest sola iussione Presbyteri Officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero:

Vide, ut quod ore cantas, corde credas, et quod corde credis, operibus comprobes.

Et si Episcopus Clericos ordinans haec faciat, bene facit.

Si Officium Psalmistatus collatum olim fuerit degradando, post degradationem a prima Tonsura, si velit, Pontifex dicit:

Quia quod ore cantasti, corde non credidisti, nec opere implevisti; ideo cantandi officium in Ecclesia Dei a te amovemus.

Etiam hodie saecularis traditio Ecclesiae Romanae suam vim retinet: quia extra muros seminariorum clerici non-sacerdotes non existunt, parochi sive rectores ecclesiarum ex laicis cantores simpliciter designant, nam in Ecclesia Romana *munus liturgicum cantoris per se nec ordinationem nec clericatum requirit.*

Tamen ultimis saeculis communis consuetudo sermonis orta est cantores vocandi clericos vel levitas, sicut ministrantes dicuntur « chierichetti » vel « il Piccolo Clero ». Hic modus loquendi ortus est ex clericalisatione liturgiae, secundum quam, parte fidelium neglecta, omnes actiones liturgicae essent clericales. Etiam influxus romanticismi hac in re notandus est. Quia quoque nonnulla documenta ecclesiastica hanc consuetudinem sermonis adhibuerunt, etsi nullam doctrinam huius argumenti protulerunt, nonnulli auctores, praesertim musici, ex hoc modo loquendi finxerunt opinionem, secundum quam clericatus omnibus muneribus liturgicis necessarius esset. Nec theologice nec historice haec opinio defendi potest. Quod attinet ad

« il Piccolo Clero » res evidens est: revera sunt parvuli (non raro nimis parvuli), clerici omnino non sunt. Nec dici potest, ministrantes laici vi delegationis exercere munus Missam inserviendi et respondendi, nam C.I.C. can 813 § 1 simpliciter dicit: « Sacerdos Missam ne celebret sine ministro qui eidem inserviat et respondeat »; potestas Ordinis enim delegari non potest; tantum fit delegatio exercitii potestatis Ordinis inter eos, qui iam veram potestatem habent; tandem aliquando quod attinet ad Ordines minores munus per se existere potest et revera exstitit ac existit sine ordinatione. Quia propter munus cantoris nulla ordinatio existit et nunquam clericatus requisitus est, nulla ratio adest theologica ac historica, ut cantores dicantur clerici et laici putentur munus liturgicum cantandi exercere vi delegationis.

5. *Possuntne mulieres ac puellae esse membra scholae cantorum?* Hodie adhuc sunt, qui relate ad mulieres ac puellas theorias proferunt secundum mentalitatem mediaevalem, perinde ac si mulier homo verus vel completus non esset. Sine ullo dubio mulieres nonnulla munera liturgica exercere possunt, v. g. moniales ac religiosae quibus est chori obligatio, munus liturgicum Officii Divini exercent (C.I.C. can. 610); religiosae mulieres, si eisdem liceat, ad normam suarum constitutionum vel legum liturgicarum ac de venia Ordinarii loci, in propria ecclesia aut oratorio canere, munus liturgicum scholae cantorum exercent (C.I.C. can. 1264 § 2); mulier Missam inserviens secundum praescripta iuris, munus liturgicum ministrantis exercet (C.I.C. can. 813 § 2). In his casibus omnino

perspicuum est, quod per se non omnia munera liturgica requirunt ordinationem aut clericatum; praeterea in his casibus nullibi quaestio est de aliqua delegatione. Idem dicendum est de choro fidelium, sive « mixto », sive mulierum aut puellarum tantum, sicuti hoc tempore a S. Sede permissus est (cfr. *Instr.* 100). Ab alia autem parte, propter rationes obvias, disciplina ac cautela Ecclesiae severa est quod attinet ad mulieres et puellas. Dolendum est, quod hodie in non paucis regionibus ad mulieres ac puellas recurrendum est, quia viri ac pueri ad munera liturgica ministrandi ac cantandi non iam comparari possunt; est enim signum triste decadentiae vitae christianae.

6. Hodiernae scientiae convenire normas *Instr.* 93 « De personis quae in Musica sacra et sacra Liturgia praecipuas partes habent », faciliter demonstrari potest.

Cum dicat « Sacerdos celebrans toti actioni liturgicae praeest » (*Instr.* 93), omnibus clarum est, Instructionem prae oculis habere Missam et non « actiones liturgicas », quibus nullus sacerdos celebrans praeest (v. g. baptismum a diacono administratum, Officium divinum monialium, etc.), nam *Instr.* 1, sicut C.I.C. can. 1256, modo generali dicit: « actiones liturgicae a personis ad hoc legitime deputatis peraguntur ».

Clerici, qui ratione suae potestatis physicae cantandi in choro seu in schola cantorum partem habent, hoc servitium ministeriale exercent vi ordinationis aut assumptionis in statum clericalem (*Instr.* 93a), nam quoque Pontificale Romanum eo-

rum designationem vel deputationem specialem ad hoc munus non requirit sed tantum commendat.

Laici, qui ratione suae potestatis physicae cantandi in choro seu in schola cantorum partem habent, hoc servitium ministeriale exercent vi designationis vel deputationis a parte competentis auctoritatis ecclesiasticae (v. g. rectoris ecclesiae); hoc exercitium *Instr.* 93b dicit « delegatum », nam nullus laicus propria auctoritate ius habet cantandi in schola cantorum; propterea dicit Pontificale Romanum: « Psalmista, id est Cantor, potest sola iussione Presbyteri Officium suscipere cantandi ».

Prudenter *Instr.* 93b sexum masculinum et femineum non adaequat; ratione disciplinae severioris sed praesertim quia chorus femineus exceptio remanere debet, de hac re quaestio fit in numero speciali, scilicet *Instr.* 100.

7. Sunt regiones, ubi viris ac pueris « cantare in ecclesia » est *officium honoris,* pro quo pecuniam neutiquam accipere vellent; etsi hoc normale dicendum est, tamen laudem meretur. Ab altera autem parte illis viris, quorum officium civile est musica, stipendium iustum tribuendum est ac praevidentia socialis disponenda, sicut convenienter monet *Instr.* 102-103.

4. Lingua Latina, Lingua Vulgaris

Praenotandum est, hic non agi *de utilitate vel de necessitate linguae latinae in disciplinis ecclesiasticis,* sicut in seminariis ac in studiorum universitatibus docendae sunt. Hac in re ardenter de-

fendendus est usus linguae latinae, non verbis tantum sed praesertim factis: lingua latina docendum est et lingua latina scribenda sunt opera ac dissertationes. Veraci ac interna persuasione subscribenda sunt verba S. C. de seminariis et studiorum universitatibus in epistula ad exc.mos locorum ordinarios, *de latina lingua rite excolenda,* diei 27 octobris anno 1957: « Latinum sermonem nisi sacrorum alumni optime calleant — id quoque Excmi Praesules iure meritoque affirmant — Sanctorum Patrum scripta, Conciliorum definitiones edictaque, Summorum Pontificum documenta, Theologorum sententiae, uno verbo, uberrima totius Traditionis monumenta divitias suas eis aperire non possunt »[16]. Vide quoque allocutionem Pii XII ad docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, diei 23 septembris anno 1951: « Latina lingua, *itemque et Graeca,* cui tot ecclesiastica scripta, iam a prisco christiano aevo, commissa sunt, thesaurus est incomparandae praestantiae; quare sacrorum administer qui eam ignorat, reputandus est lamentabili mentis laborare squalore »[17].

Praeterea observandum est hoc: in moderna scientia liturgiae maximo in honore sunt *studia antiquae linguae latinae christianae.* Quid enim manifestatum est? In Ecclesia quoque ii, qui latinum sermonem optime callent, antiquam linguam latinam christianam ignorant. Hac in disciplina adhuc permulta agenda sunt. Revera, non tantum

---

[16] AAS 50 (1958) 293.
[17] AAS 43 (1951) 737.

apud Patres sed etiam in hodierna liturgia romana, adsunt multae expressiones latinae, quas nemo sufficienter explicare potest. Nonnulli auctores moderni iam optimas res hac in re perfecerunt [18]. Quod clerus antiquam linguam latinam christianam aut insufficienter aut non cognoscit, perspicue probant versiones textuum liturgicorum in linguas modernas, nam erroribus ac imperfectionibus abundant [19].

Tandem aliquando pervenimus ad argumentum, de quo iterum iterumque in hodierna Renascentia liturgiae quaestio est: est *problema linguae liturgicae* [20].

---

18 Praecipue videnda sunt opera Christinae MOHRMANN: a) *Etudes sur le latin des chrétiens.* Roma, Edizioni di storia e letteratura, 1958, XXII-468 p. — b) *Liturgical Latin its origins and character. Three lectures.* Washington, The Catholic University of America Press, 1957, 95 p.

19 Vide v. g. exempla in J. P. O'CONNELL, *Translation of the Missal*: The Homiletic and Pastoral Review 54 (1953) 17-27.

20 Quod attinet ad statum quaestionis et ad bibliographiam, videnda est dissertatio A. MARTIMORT, *Le problème des langues liturgiques de 1946 à 1957*: La Maison-Dieu 53 (1958) 23-55. — H. SCHMIDT S. J., a) *Liturgie et langue vulgaire. Le problème de la langue liturgique chez les premiers Réformateurs et au Concile de Trente.* Traduction du néerlandais par S. CARON O. S. B. (= Analecta Gregoriana, vol. 53). Romae, apud aedes Universitatis Gregorianae, 1950, 212 p. — b) *Liturgie en volkstaal in het Concilie van Trente*: TijdschrLit 34 (1950) 7-32. — c) *The problem of language in liturgy*: Worship 26 (1952) 276-292, 342-349. — d) *De liturgische taal in de oosterse ritus*: Sacris Erudiri 1 (1948) 323-349. — A. MARTIMORT, *l. c.*, p. 49: « Il manque aux polémistes l'indifférence d'esprit et de loisir nécessaires à l'étude objectives des faits et à l'établissement d'une documentation valable. Cela se vérifie dans les actuelles disputes, même quand on y voit prendre part des savants que nous admirons et des amis qui nous sont chers. Il faudrait d'abord éviter les anachronismes trop manifestes. Par exemple, on voit encore traîner, dans des articles qui

1. PIUS XII sine ullo dubio admittebat, in hodierna actione liturgica problema linguae esse grave ac reale. Nemo apud eos, qui auctoritate in Ecclesia praediti sunt, indicare potest rigorismum aut tenacitatem. Iterum iterumque enim in Actis Hierarchiae Ecclesiasticae simul occurrunt et *pro* lingua latina et *pro* lingua vulgari. Luce clarius est hoc in Litt. Enc. *Mediator Dei et hominum* [21]:

Latinae linguae usus, ut apud magnam Ecclesiae partem viget, perspicuum est venustumque unitatis signum, ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas. In non paucis tamen ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere potest; nihilominus unius Apostolicae Sedis est id concedere; atque adeo, ea inconsulta eaque non approbante, nihil prorsus hoc in genere fieri fas est, quandoquidem, ut diximus, sacrae Liturgiae ordinatio ab eius consilio ac nutu omnino pendet [22].

Eadem mentalitas apparet in allocutione PII XII conventui internationali de liturgia pastorali, Assisii habito, diei 22 septembris anno 1956:

La liturgie confère à la vie de l'Eglise, et même à toute l'attitude religieuse d'aujourd'hui, une empreinte caractéristique. On remarque surtout une participation

---

s'écrivent de nos jours, des citations de PALLAVICINI qui montrent que les auteurs de ces articles ignorent tous les travaux faits sur le Concile de Trente depuis la Görresgesellschaft, le P. CAVALLERA, A. MICHEL et JEDIN: c'est pourquoi le livre de H. SCHMIDT, recensé ci-dessus, leur paraîtra 'tendancieux' dans ses 'arguments', alors qu'il n'a fait que se plier aux méthodes scientifiques de l'histoire ».

[21] Data opera textus citamus, nam non raro polemistae eos mutilant.

[22] AAS 39 (1947) 545.

active et consciente des fidèles aux actions liturgiques. De la part de l'Eglise, la liturgie actuelle comporte un souci de progrès, mais aussi de conservation et de défense. Elle retourne au passé sans le copier servilement, et crée du nouveau dans les cérémonies elles-mêmes, dans l'usage de la langue vulgaire, dans le chant populaire et la construction des églises. Il serait néanmoins superflu de rappeler encore une fois que l'Eglise a de graves motifs de maintenir fermement dans le rite latin l'obligation inconditionnée pour le prêtre célébrant d'employer la langue latine, et de même, quand le chant grégorien accompagne le saint Sacrifice, que cela se fasse dans la langue de l'Eglise »[23].

In Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina* haec principia observamus: *lex generalis tolerat exceptiones*, et *quod in hac regione conveniens est, non per se in alia regione convenit;* ut per se patet, haec principia sub debitis conditionibus applicantur, sicut ex ipsis textibus clarum est:

Ecclesia tantopere exoptat ut cum latinis sacrae Liturgiae verbis eorundem verborum cantus Gregorianus arcte conectatur. Haud ignoramus sane ab hac ipsa Apostolica Sede ob graves causas quasdam sed omnino definitas exceptiones hac in re concessas esse, quas tamen nequaquam latius proferri vel propagari, nec sine debita eiusdem Sanctae Sedis venia, ad alias regiones transferri volumus. Quin immo ibi etiam, ubi eiusmodi concessionibus frui licet, locorum Ordinarii ceterique sacri pastores sedulo curent, ut christifideles inde a pueris saltem faciliores et magis usitatas modulationes Gregorianas addiscant, eisque etiam in sacris ritibus liturgicis uti sciant, ita ut hac quoque re Ecclesiae unitas et universitas in dies magis effulgeat. Verum tamen, ubi saecularis vel immemorabilis consuetudo fert ut in sollemni Sacri-

23 AAS 48 (1956) 724.

ficio Eucharistico, post sacra verba liturgica latine cantata, nonnulla popularia vulgaris sermonis cantica inserantur, locorum Ordinarii id fieri sinere poterunt, « si pro locorum ac personarum adiunctis existiment eam (consuetudinem) prudenter submoveri non posse » (C. I. C. can. 5), firma tamen lege qua statutum est ne ipsa verba liturgica vulgari lingua canantur, quemadmodum supra cautum est [24].

Ad haec quae arctius cum sacra Ecclesiae Liturgia coniunguntur, accedunt, ut supra monuimus, cantus religiosi populares, plerumque lingua vulgari concepti, qui ex ipso cantu liturgico originem ducunt, sed cum magis sint ad singulorum populorum mentem et affectum accommodati, secundum variarum gentium et regionum indolem non parum inter se differunt ... Etsi, ut supra scripsimus, in Eucharisticis Sacrificiis sollemniter cantatis sine peculiari Sanctae Sedis venia haberi non debent, tamen in sacris non sollemniter celebratis mirum in modum iuvare possunt, ut christifideles Sancto Sacrificio non tantum ut muti et quasi inertes spectatores assistant, sed sacram actionem mente et voce comitantes suam pietatem cum sacerdotis precibus coniungant, dummodo cantus illi singulis Sacrificii partibus recte aptentur, ut in multis orbis catholici regionibus iam fieri magno cum gaudio novimus [25].

Praeterea Sancta Sedes variis decretis usum linguae vulgaris in determinatis partibus liturgiae permisit.

Primo nominanda sunt *Ritualia partim in lingua vernacula,* quae magnam efficaciam habent in actuosam fidelium participationem Sacramentorum, funerum ac benedictionum.

Deinde in novo Ordine Vigiliae Paschalis existit novus ritus liturgicus, scilicet *De renovatione*

---

[24] AAS 48(1956) 16-17.

[25] AAS 48 (1956) 20-21.

promissionum baptismatis, quae « fieri potest, ubique locorum, lingua vernacula; versione tamen ab Ordinario loci approbata », sicut rubrica dicit.

Ordo Hebdomadae Sanctae instauratus nova rubrica, quae pluries repetitur, agnoscit et promovet virtutem didacticam lectionum in liturgia; in Instructione diei 16 novembris 1955 hoc legitur: « Per totam hebdomadam sanctam, id est a dominica II Passionis seu in palmis usque ad Missam vigiliae paschalis inclusive, in Missa (et feria VI in solemni actione liturgica), si solemniter celebratur, scilicet cum ministris sacris, ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omittuntur » [26]; ac in rubricis saepius additur, v. g. ad lectiones Vigiliae Paschalis: « Celebrans et ministri, clerus et populus, sedentes auscultant » [27].

Quod ad celebrationem Missae attinet, existunt varia indulta pro determinatis regionibus. In

---

26 Cfr. H. SCHMIDT S. J., *Hebdomada Sancta.* Romae, Herder, 1956, p. 228-229.

27 Saepissime a Sancta Sede petitum est, ut Missa didactica (usque ad Offertorium) fiat lingua vulgari. Usque nunc Sancta Sedes hoc non concessit. Nonnulli affirmant, Ecclesiam nunquam concessurum esse hoc indultum, nam PIUS XII in sua allocutione diei 22 septembris 1956 (vide supra) dixit, in ritu latino firmam remanere obligationem inconditionatam, linguam latinam adhibendi pro sacerdote celebrante. Nimis autem prophetant isti viri, nam PIUS XII agit tantum de sacerdote celebrante, dum natura sua ex Missa didactica fere nihil ad officium sacerdotis celebrantis pertinet (vide supra); ergo spes inanis dicenda non est, quod in Ordine Hebdomadae Sanctae instaurato rubrica « sedentes auscultant » (vide supra) exscripta est alicuius rei ratione habita, nam vanitatem huius novae rubricae, saepius repetitae, per se supponere non audemus. Ab alia autem parte nihil prorsus praedico hac in re, nam propheta non sum.

Germania sic dicta Germanica Missa Cantata (*Deutsches Hochamt*) concessa est. In aliis regionibus concessum est, ut ministri sacri intra missam solemnem, celebrans vero ipse intra missam popularem, sive cantatam sive lectam, Epistolam et Evangelium latine primum, deinde lingua vernacula proclament. S. S. C. S. Officii, die 12 aprilis 1949, in Sinis permisit Missale in lingua Sinensi litteraria quoad omnes partes Missae a principio usque ad initium Canonis et a Postcommunione usque ad finem Missae; dum Canon manet in lingua latina, tamen partes, quae alta voce recitantur (*Pater Noster, Pax Domini* et *Agnus Dei*) iterum sunt in lingua Sinensi; hoc concessum est in genere ad melius promovendam evangelisationem infidelium, et in specie propter magnum defectum cognitionis linguae latinae apud clerum Sinensem.

2. Episcopi quoque saepius agebant de problemate linguae in hodierna Renascentia Liturgiae. Citamus tantum duos Praesules italicos, qui ubique terrarum propter suam modernam curam pastoralem noti sunt. Em.us Card. G. Lercaro in suo Directorio haec verba scripsit:

Per contro, ebbi giorni fa mio ospite S. E. Benedict Mar Gregorios, Arcivescovo di rito siro-malabarico di Trivandrum nell'India, che celebró la s. Messa nella mia cappella. Per quanto non del tutto ignaro di riti orientali, ebbi netta la sensazione del disagio che debbono provare i nostri fedeli di fronte alla nostra Messa, quando essa resti per loro un oscuro susseguirsi di parole incomprensibili e di gesti misteriosi. E mi resi conto del perchè molti, troppi (le percentuali date dalle statistiche sono vera-

mente penose!) trascurino con tanta facilitá l'adempimento del precetto [28].

Exc.mus G. MONTINI in epistula pastorali de educatione liturgica, anni 1958:

PER PARTECIPARE OCCORRE COMPRENDERE. *I riti devono essere compresi: è un canone risultante dai riti stessi.* Ancora: per partecipare occorre comprendere. Qui i problemi si moltiplicano. Devono, innanzi tutto, essere compresi i sacri riti; o devono invece rimanere chiusi, quasi formole esoteriche, all'intelligenza dei fedeli? Criterio fondamentale si è che devono essere compresi. Ció non esclude che essi abbiano un contenuto ricco di mistero; o abbiano parti che solo i Sacerdoti debbano recitare. Ma l'intelligenza del rito, è un canone risultante dal rito stesso. Il rito è segno, il rito è linguaggio, il rito è espressione d'una veritá divina comunicata agli uomini, e d'una veritá umana rivolta a Dio. L'atmosfera della Liturgia è la luce; la sua voce è sapienza. Sant'Agostino, ad esempio, desidera che il popolo risponda « *amen* » a ció che chiaramente capisce: « *populus ad id quod plane intelligit, dicat: amen* » [29]...

L'ostacolo della lingua latina e del profondo simbolismo dei riti. L'ostacolo non è solo la lingua latina, che la Chiesa per gravi ragioni vuole conservare, sebbene sia non solo consentito, ma raccomandato, anche per i fedeli, l'uso del Messale tradotto in lingua parlata, e siano date norme per l'uso delle traduzioni dei brani scritturali durante la Messa [30].

---

28 Giacomo LERCARO, *A Messa, figlioli! Direttorio liturgico per la partecipazione attiva dei fedeli alla santa Messa letta.* Bologna, Ufficio tecnico organizzativo arcivescovile, 1954. p. 18-19.

29 *De catechizandis rudibus,* IX.

30 Giovanni Battista MONTINI, *Su l'educazione liturgica. Lettera pastorale all'Archidiocesi Ambrosiana per la Santa Quaresima del 1958.* A cura del Centro Milanese di Studi per l'A. C. Milano, Editrice « La Favilla », 1958. p. 29-30. — Lectura huius epistolae maxime commendatur.

3. IN INSTRUCTIONE problema usus linguae nobis pluries in sua plena actualitate occurrit. Propterea modo synthetico omnes rubricas huius argumenti collegimus; notandum est, quod numeri 13-15 data opera hoc argumentum tractant.

Rubricae generales (13, 16a, 19, 51, 104).
Rubricae de Missa in genere (14, 30, 33, 36).
Rubricae de partibus Missae (14c, 16c, 32).
Rubricae de Processionibus (15).
Rubricae de instructione linguae latinae (98abc).
Rubricae de exteris Missionibus (112b).

a) In his rubricis iterum perspicua est disciplina ecclesiastica de usu linguae in liturgia, sicut iam supra demonstravimus: *lege generali lingua latina, exceptionaliter lingua vernacula.*

b) *Problema textuum liturgicorum latinorum conversionis in linguas vulgares* grave est. Textus enim liturgici latini, qui cultura romana imbuti sunt, non simpliciter linguis aliarum culturarum verbotenus verti possunt; requiruntur adaptationes, revisiones, recompositiones, versiones liberae, ut textus latini fiant textus gallici, germanici, italici, etc., in veritate ac in pulchritudine. Propterea in decreto S. S. C. S. Officii, diei 29 aprilis anno 1955, *De sic dicta missa « Deutsches Hochamt »*, dicitur: « il *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* e *Agnus Dei* possono essere cantati nelle parafrasi in lingua tedesca » [31]. Ergo bene distinguendae sunt *conversio verbotenus* et *paraphrasis* vel, sicut hodie quoque dicitur, *conversio litteralis* et *conversio libera*. Ad executionem practicam huius

[31] LiturgJahrb 6 (1956) 115.

negotii requiritur non tantum magna peritia sed etiam plena fiducia in vigilantia Episcoporum, ne homines privati ad lites usque in infinitum perveniant, in quibus nulla utilitas, nulla auctoritas, habentur.

c) Quod attinet ad communes precationes et cantus lingua vulgari in Missis lectis proferendos, iterum iterumque est quaestio de earum *congruentia cum singulis Missae partibus* (*Instr.* 30 « singulis Missae partibus apprime congruant », *Instr.* 33 « singulis Missae partibus plane congruant »). Haec est ratio, cur in actione liturgica hodierna maxime adhibentur textus e S. Scriptura secundum editiones lingua vulgari conversas, quae rite approbatae sunt et quae virtute litteraria praestant. In sectione cantus popularis regressus laudabilis fit a forma « hymni sensu stricto » ad psalmodiam, quae est fundamentum aut nucleus musicae sacrae. In partibus Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina,* quae agunt de periodis aureis cantus sacri, citationes fere semper de psalterio ac de psalmodia agunt. In tota historia Ecclesiae Psalmi cantati sunt in omnibus linguis. Etiam hodie bono successu populus ad thesauros Psalmorum reducitur et ad magnum repertorium psalmodiae, diversis linguis congruentis, additae sunt formae novae, quae non tantum populo placent sed quoque a non paucis peritis iudicantur opera solidae virtutis scientificae aestheticae, sicut multae dissertationes in periodicis seriis probant [32]. Ergo usus talium psalmodiarum, quae non sunt gregorianae, in

---

[32] Vide v. g. psalmodiam gallicam Josephi GELINEAU S. J.

sectione cantuum, lingua vulgari in Missis lectis proferendorum, non leviter promovet congruentiam cum singulis Missae partibus, ut per se patet. Sine ullo dubio, moderna actio biblica « participationem communitariam in lingua vulgari » efficaciter in naturam propriam liturgiae romanae introducit quae, sicut notissimum est, S. Scriptura, praesertim Psalmis, gravida est.

d) Sicut notum est, post Concilium Tridentinum usque ad tempora nostra, in Ecclesia regnabat magna oppositio contra versiones vernaculas textuum liturgicorum, speciatim Missalis Romani. Signum huius oppositionis saecularis est lex generalis, secundum quam in actionibus liturgicis in cantu celebratis *nullus textus liturgicus, in linguam vulgarem verbotenus conversus, cani licet*; haec lex adhuc hodie viget (cfr. *Instr.* 13b). Ab altera autem parte hodie ubique terrarum existunt versiones vernaculae textuum liturgicorum (praesertim Missalis Romani) typis editae, quae rite approbatae apud fideles in usu sunt. Ut per se patet, usus crescebat has versiones in Missa lecta quoque alta voce adhibendi. Instructio legislationem hac in re promulgavit quod attinet ad textus Missalis Romani; huius legis tenor est hic:

In Missis lectis *textus Missalis Romani lingua latina dicere* una cum sacerdote celebrante: a) submissa voce licitum est; b) elata voce licitum est tantum secundum ordinationes Missae lectae cum « participatione communitaria in lingua latina » (*Instr.* 31).

In Missis lectis *textus Missalis Romani verbotenus conversos dicere* una cum sacerdote cele-

brante: a) submissa voce licitum est; b) elata voce stricte prohibetur (excepta lectione Evangelii ac Epistolae, a quodam lectore).

e) Post instaurationem Ordinis Hebdomadae Sanctae orta erat haec quaestio ratione recitationis Orationis Dominicae *Pater noster* una cum sacerdote celebrante, lingua latina, elata voce: sitne licitum idem agere in Missa lecta cum « participatione communitaria in lingua latina »? De Missa lecta cum « participatione communitaria in lingua vernacula » nulla difficultas existebat, nam iam per saecularem traditionem in multis regionibus fideles *Pater noster* lingua vulgari voce elata inter Missas lectas recitabant, eodem momento ac sacerdos celebrans eandem orationem dicebat vel saltem post Canonem ante Communionem. Hic usus crescebat, Communione frequenti crescente. Oratio Dominica simpliciter est oratio christiana, sive privata sive liturgica, immo a Christo data est tanquam oratio privata. Propterea iam ante modernum motum liturgicum *Pater noster* erat ubique precatio communitaria in Missis lectis; in nonnullis autem regionibus, v. g. in Italia, communiter dicebatur et adhuc dicitur lingua latina, etiam in Rosario, etc. Nova lex (*Instr.* 32) nunc quaestioni supradictae affirmative respondet, scilicet quod a fidelibus una cum sacerdote celebrante recitari potest *Pater noster* lingua latina voce elata in omnibus Missis lectis, sed simul fidelibus multarum regionum aliquid aufert, quod iis valde carum erat, scilicet recitationem *Pater noster* lingua vulgari voce elata in omnibus Missis lectis. Contra sensum obvium *Instr.* 32: « exclusa quavis recitatione in

lingua vulgari », sunt qui affirmant, recitationem *Pater noster* lingua vulgari voce elata in Missis lectis permissam esse, nisi fiat « una cum sacerdote celebrante ».

4. Conclusio. Si problema linguae in liturgia tractatur secundum principia obiectivitatis scientificae, dicendum est problema difficillimum, nam praeter iudicium rectum imprimis requirit iurisprudentiam sapientem ac experientiam vastissimam.

Propterea hac in materia omnes superlationes et traiectiones evitandae sunt; tranquillitas indifferentiae scientificae requiritur [33].

Defensores linguae latinae immunes sint a romanticismo falso, omittant argumenta aequivoca apologiae temporis praeteriti, ne apud auditores ac lectores criticos perveniant ad effectum contrarium.

Promotores actuosae participationis fidelium, non tantum obedientia ac sapientia, sed praesertim respectu ac amore populi Dei, suam « ecclesiolam » non tradant periculis suorum experimentorum privato arbitrio inductorum. Praeterea bene sciant, linguam vulgarem non esse « conditionem sine qua non » actuosae participationis fidelium, nam in hodierna Renascentia liturgiae adsunt tot res maioris momenti, quas ad exitum felicem perducere possunt.

---

[33] In *Instr.* 31 dicitur « *liturgice* respondent »; accuratius fuisset « latine respondent ».

5. Modi quibus fideles Missae participare possunt

Pars principalis Instructionis est actuosa participatio fidelium in Missa.

Conspectus argumentorum in Instructione:

1. *In genere*: Principia generalia circa fidelium participationem in Missa (22-23) — De problemate usus linguae (14, 16c, 30, 32, 33, 36) — De instrumentis musicis, speciatim organo, in Missa (27e, 29, 80-85) — Commentator (96, 72) — Radiophonia et Televisio (74-79).

2. *Missa in cantu* (3): Lingua (14a, 16c, 96e) — Partes Missae (27, 14c) — Missa solemnis (24-25) — Missa cantata (26).

3. *Missa lecta*: Rubricae generales de fidelium participatione (28, 33, 34) — Partes Missae (14c, 32) — Missa lecta cum fidelium participatione individuali (29) — Missa lecta cum fidelium participatione communitaria in lingua vulgari (30, 14b) — Missa lecta cum fidelium participatione communitaria in lingua latina (14b, 31).

1. Principium fundamentale. Si quaestio est de actuosa fidelium participatione in Missa, finis huius negotii complicati semper esse debet, ut fideles ad participationem Missae *secundum eius naturam intrinsecam* perveniant modo perfectissimo. Propterea semper prae oculis habenda sunt, quae expressis verbis exponuntur in *Instr.* 22-23 (quae pars melior Instructionis dicenda est), ubi haec conclusio legitur: « Varios autem modos, quibus fideles sacrosancto Missae Sacrificio actuose participare possunt, ita oportet moderari, ut periculum cuiusvis abusus amoveatur, at praecipuus eiusdem participationis finis obtineatur, *plenior scilicet Dei cultus et fidelium aedificatio* ».

Ergo bene distinguendum est inter ipsam *essentiam Missae* eiusque varios *modos celebrandi*. Missa enim secundum suam essentiam vel secundum suam naturam intrinsecam est unica et non existit in ordine generis ac specierum; eius autem modi celebrandi sunt multi ac diversi ita, ut Missa secundum suam externam formam celebrationis admittat diversos gradus minoris ac maioris perfectionis. Propterea, si quaestio est de electione cuiusdam modi Missam celebrandi, principaliter consideranda est non forma externa celebrationis secundum gradus perfectionis exterioris sed eius finis ultimus, ut scilicet fidelibus ipsa Missa secundum suam naturam intrinsecam efficaciter patefiat. Quamobrem gradus perfectissimus externae celebrationis Missae per se nondum est modus convenientissimus participationis horum vel illorum fidelium. Ergo in hoc negotio requiritur, quod attinet ad diversos gradus celebrationis externae, indifferentia quae « sancta » dicitur. Si haec abesset, orirentur exaggerationes in aestimatione formarum externarum Missam celebrandi : fieret enim iudicium amore linguae latinae, gustu aesthetico cantus gregoriani, dilectione artis propter artem; abesset unicum criterium necessarium, scilicet cura animarum vel efficacitas pastoralis.

2. Experientia docet. Ultimis 30 aut 40 annis problema fidelium participationis in Missa funditus investigatum est in illis regionibus, ubi actio liturgica existit valida et efficax. Hac in re collaboraverunt viri, qui non tantum in libris ac in cubiculis studii haerunt, sed in mediis etiam rebus vitam gerunt.

Initio huius saeculi Renascentia liturgiae oppugnabat modum immediate traditum, quo fideles se inter Missarum Sollemnia habebant (et adhuc hodie non raro habent); agebant exercitia pia quaelibet, quae plerumque nullam relationem habebant cum actione Celebrantis ad altare; Missa lecta praecipue erat Missa silentiosa et Missa in cantu erat res scholae cantorum; si fideles alta voce preces dicebant, erant iterum exercitia pia, inter quae eminebat recitatio publica Rosarii; si cantabant, cantica erant praesertim affectiva et in honorem B. M. V. [34].

Modernus motus liturgicus incipiebat hanc situationem reformare. Ubique edita sunt Missalia lingua vulgari in usum fidelium. Notum est, quod illa Missalia habebant influxum salutarem, nam creabant nexum fidelium cum Celebrante ad altare. Tamen illa Missalia non sufficiebant: multi fideles enim simplices difficulter legere possunt Missale, nam est nisus intellectualis, qui capacitatem maioris partis fidelium superat. Ab altera parte liturgiae peritis statim notum erat, « lectionem » Missalis non sufficere veraci participationi fidelium in Missa.

Propterea ubique liturgistae Missam in cantu

[34] Haec omnia nunc prohibita sunt, nam bene dicit *Instr.* 12: « Actiones liturgicas et pia exercitia inter se commisceri non licet ». Contra hunc sensum obvium *Instr.* 12 sunt qui affirmant, permixtiones super allatas ét nunc permissas esse, v. g. recitationem Rosarii alta voce inter Missarum Sollemnia, cui autem sacerdotem celebrantem participare non licet (quod per se patet!). Dicunt, Instructionem nihil, quod rite existit, abrogare, sicut v. g. desiderium Leonis XIII quod attinet ad recitationem Rosarii inter Missarum Sollemnia.

gregoriano propagabant et fideles perducebant ad activam participationem cantus gregoriani. Ille motus gregorianus iterum habebat non levem successum. Tamen decursu temporis clarum fiebat, quod haec forma Missae quoque capacitatem non levis partis fidelium simplicium superabat: frequentia enim harum Missarum decrescebat post primum impulsum et perspicuum fiebat, quod multi fideles ad aestimationem cantus gregoriani adduci non poterant defectu culturae intellectualis ac peritiae musicae. Constat enim, quod maiori parti populi hodierni cantus gregorianus manet liber clausus, quidquid instructione ac exercitio, perseverantia ac patientia, immo vi ac violentia actum sit: etsi dolendum sit, unusquisque qui sensum realitatis habet, admittere debet, quod multis fidelibus non placet cantus gregorianus, quia a cantu populari moderno nimis distat.

Eodem tempore liturgistae propagabant quoque sic dictam « Missam dialogatam » vel « Missam lectam cum fidelium participatione communitaria in lingua latina ». Etiam haec forma celebrationis Missae optimo modo succedebat inter fideles intellectuales magis excultos. Apud partem maiorem autem fidelium iterum non succedebat: post primum impulsum statim populus incipiebat deformare linguam latinam, quam non perspiciebat, et tandem aliquando tacebat, quidquid agebat zelus liturgistarum.

Propterea nostris diebus haec situatio existit in regionibus, ubi motus liturgicus existit validus et efficax. Diebus Dominicis et festis celebratur Missa in cantu, cui fideles in cantu participant,

prout hoc possibile est secundum eorum culturam ac capacitatem. Praeterea, ubi realis possibilitas existit, celebratur « Missa lecta cum fidelium participatione communitaria in lingua latina »; hoc praesertim fit in collegiis, institutis, seminariis, sed etiam in Missis paroeciarum ubi praesentes huius modi participationis capaces sunt.

Tamen hoc omnino non sufficit. Experientia enim docuit, quod illi modi participationis tantum minori parti fidelium convenientes sunt. Quia verax participatio Missae non tantum est munus aristocratiae intellectualis, hominum excultorum et familiarum altae educationis aut altioris situationis economicae, moderna actio liturgica proponere debebat alios modos celebrationis Missae, qui toti populo adaptati sunt. Participatio enim in divinis pertinet ad ius omnium laicorum. Hoc ius positive in C. I. C. can. 682 enuntiatur:

> Laici ius habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adiumenta ad salutem necessaria.

Secundum iuris peritos spiritualia bona imprimis sunt sacramenta, applicatio Sacrificii Missae, participatio in cultu, praedicatio verbi divini, sacramentalia, suffragia communia, indulgentiae, benedictiones, sepultura ecclesiastica, iudicia ecclesiastica, dispensationes, etc. Hoc ius quoque negative in C. I. C. can. 2259 enuntiatur:

> Excommunicatus quilibet caret iure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei. Si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessan-

dum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo; ab assistentia vero activa, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus.

Ergo in cura animarum clerus huic iuri laicorum obsecundare debet et quidem talibus mediis, quae omnibus fidelibus, et non soli classi altiori, convenientia sunt. Si media participationis in divinis non sufficienter universalia essent, ius laicorum laederetur. Propterea in hodierna actione liturgica quaeritur talis forma communitaria celebrationis Missae, quae populo hodierno maxime adaptata est.

Ultimis annis Ordinarii loci *Directoria* promulgaverunt, ut multorum inceptorum privatorum unitas maior crearetur secundum proprias necessitates ac consuetudines dioecesium aut provinciarum. Sic loci Ordinarii monitui Litt. Enc. *Mediator Dei et hominum* obsecundabant:

Quamobrem vos adhortamur, Venerabiles Fratres, ut in Dioecesi vel ecclesiastica dicione cuiusque vestra modum rationemque, quibus populus liturgicam actionem participet, moderari atque ordinare velitis secundum normas, quas « Missale » statuit, et secundum praecepta, quae Sacrum Consilium ritibus praepositum et Codex Iuris Canonici edidere; ita quidem ut debito omnia ordine ac decore fiant, neve cuilibet, etsi sacerdoti, liceat arbitrio suo sacris aedibus quasi experimenti causa uti. Quam ad rem id etiam Nobis in votis est, ut in singulis Dioecesibus, quemadmodum Consilium habetur sacris musicis et artibus tutandis, sic Consilium quoque constituatur ad liturgicum provehendum apostolatum, ut vigilanti cura vestra

diligenter omnia ex Apostolicae Sedis praescriptionibus eveniant [35].

Ubicumque loci Ordinarii nunc operam dare inceperunt actuosae participationi fidelium, et quidem tali modo, sicut verax cura pastoralis id exigit: positive, concrete, practice; immo descenditur usque ad realitatem crudam cum omnibus eius difficultatibus, usu vulgari ac oppositione passiva. Effectus huius activitatis laudabilis sunt *directoria dioecesana*, quorum principalia enumeramus.

In Germania dioecesis Friburgensis anno 1955 edidit: *Richtlinien über die Gestaltung des sonntäglichen Gottesdienstes*, cfr. LiturgJahrb 6 (1956) 170-173. Dioecesis Monacensis et Frisingensis anno 1956 edidit: *Richtlinien für die Feier der heiligen Messe in Gemeinschaft*, cfr. LiturgJahrb 7 (1957) 109-121. Haec directoria valde concreta sunt et organisata.

In Gallia existunt: *Directoire pour la pastorale des sacrements à l'usage du clergé. Adopté par l'assemblée plénière de l'épiscopat pour tous les diocèses de France.* Paris, Bonne Presse, 1951. 79 p. — *Directoire pour la pastorale de la messe, à l'usage des diocèses de France. Adopté par l'assemblée des Cardinaux et Archevêques.* Paris, Bonne Presse, 1956. 120 p. — Illa directoria valde idealistica sunt.

In Belgio in dioecesi Tornacensi: *Pour une messe plus fraternelle. Directoire pour la participation des fidèles à la messe.* Tournai, Casterman, 1956. 106 p. In dioecesi Namurcensi: *Allons à l'autel du Seigneur. Directives pastorales pour une participation active et communautaire à la sainte messe.* Gembloux, Duculot, 1957. 103 p. Maxime laudatur directorium dioecesium Mechliniensis, Brugensis et Leodiensis: *Autour de l'autel du Seigneur. Directoire pour la pastorale de la messe à l'u-*

---

[35] AAS 39 (1947) 561-562.

sage du diocèse de Malines, cum versione flandrica: *Rond het Altaar des Heren. Richtlijnen voor het bisdom Mechelen omtrent de actieve deelname van de gelovigen aan de H. Mis* (Bruxelles, Secrétariat interparoissial, 1 rue de l'Industrie).

In Italia directorium Em.i Cardinalis G. Lercaro, archiepiscopi Bononiensis, existit, quod ubique terrarum laudes egregias acquisivit: *A Messa, figlioli! Direttorio liturgico per la partecipazione attiva dei fedeli alla santa Messa letta.* Bologna, Ufficio tecnico organizzativo arcivescovile, 1954. 217 p.

In Hispania dioecesis Barcinonensis edidit: *Directorio diocesano para la santa Misa.* Obispado de Barcelona, 1958. 42 p.

In Argentina: *Directorio liturgico pastoral del episcopado Argentino, para la participacion activa de los fieles en la Santa Misa*: Revista de Teologia 7 (1958) 13-65.

In Neerlandia in dioecesi Ultrajectensi: *Proeve van een gemeenschapsmis.* 1956. 23 p. Vide etiam: J. A. M. Prein, *Actieve deelname door de « gemeenschapsmis ». Verantwoording van een experiment*: NedKathStemmen 53 (1957) 1-14.

De his directoriis existunt dissertationes, v. g.: M. Colleye S. J. et J. Raes S. J., *Pastorale de la messe et récents directoires épiscopaux*: NouvRevThéol 90 (1958) 171-188. — B. van Bilsen O. F. M., *Vernieuwing in de Eucharistieviering. Een studie over pastoreel-liturgische richtlijnen*: SSma Eucharistia 50 (1958) 255-285. — H. Schmidt S. J., *Liturgie en leek*: Katholiek Archief 13 (1958) 725-740.

Quod ad bibliographiam attinet, vide: *Les Questions Liturgiques et Paroissiales* 38 (1957) 89-97, 164-165, 305-313.

In omnibus his Directoriis quaeritur nova forma liturgica Missae, quae existit inter hodiernam Missam in cantu (secundum omnes eius gradus)

et hodiernam Missam lectam. Experientia multorum annorum demonstravit, quod Missa in cantu, praesertim ratione linguae latinae, cantus gregoriani ac formae ritualis, hodiernis fidelibus simplicibus non sufficienter adaptata est, et quod Missa lecta est nimis « privata »[36]. Propterea iam diu quaeruntur formae liturgicae intermediae, quae veracem participationem fidelium cuiuslibet conditionis possibilem reddunt. Post multa experimenta multae dioeceses nunc pervenerunt ad formam universaliter praescriptam, nam multitudo formarum creat confusionem praesertim si haberentur multiplices differentiae minimi momenti. Ergo in hac activitate episcoporum observamus creationem formae liturgicae Missae communitatis popularis, quae existit inter classicam Missam in cantu et Missam lectam. Hodiernae legislationis causa autem episcopi pro hac Missa populari debebant tamquam fundamentum accipere Missam lectam, nam legislatio Missae in cantu adhuc semper rata est. Propterea in directoriis habentur difficultates ac imperfectiones, quae ex optato superari non potuerunt, nam quoque Missa lecta remanere debet Missa lecta. In his directoriis autem fidelibus restauratur participatio quae eis liturgice debetur; ut per se patet, cantus populi adest. Quamdiu Missa lecta esse debet fundamentum Missae popularis, remanet hiatus inter celebrantem et populum et recurrendum est ad multa duplicata ac interpretationes. In Missa lecta enim, praeter functiones ministrantium, omnes functiones liturgicae ab ipso celebran-

36 Bene dicit *Instr.* 2: « Denominatio proinde *Missae privatae* vitetur ».

te persolvuntur, quoque eae quae liturgice ad celebrantem non pertinent. Propterea directoria semper prae oculis habent optimam formam Missae in cantu, quod summis laudibus dignum est. Forma liturgica enim Missae popularis, quae principiis liturgicis plene satisfacit, oriri deberet ex illa forma, quae aspectum communitarium cum divisione harmonica functionum fideliter conservavit.

In Instructione ordinationes « Missae in cantu » et « Missae lectae cum fidelium participatione in lingua latina » firmitatem solidam manifestant, nam hisce in rebus nullus dissensus hodie existit et omnia iamdiu praxi probata sunt. Quod attinet ad « Missam lectam cum fidelium participatione in lingua vulgari » Instructio, praeter nonnullas rubricas generales, ordinationem specificam relinquit iis, qui in cura animarum immediata versantur, scilicet Episcopis, nam ubique terrarum tam diversae sunt circumstantiae ac necessitates, ut convenientia media participationis fidelium in Missa, secundum directiva generalia S. Sedis, indicare ac ordinare possunt tantum ii, qui in immediata cura animarum praesules sunt [37]. Hoc bene prae oculis

[37] Ut hoc in negotio disciplina sit sana, haec principia observanda sunt: Etiam in liturgia ordo iuridicus constituit ordinationem vitae liturgicae, quae ordinatio ideoque magis perfecta est, quo magis congruit realitati liturgicae qua fundatur, quaeque consequenter eo minus perfecta est, quo realitati liturgicae mere formaliter, magis vel minus arbitrarie et ab extrinseco, superadditur. Etsi in vita liturgica modo speciali stabilitas firma rituum ac ceremoniarum necessaria est, non putamus omnia particularia debere legibus definiri — cum vita ipsa se evolvat congruenter ad eius naturam — et multo minus omnia particularia debere statim legibus definiri — cum norma magis convenienter habeatur in fine exhaurientis discussionis scientificae. Cfr. W. BERTRAMS S. J., *De*

habendum est praesertim, si Ordinarii loci agere videntur praeter aut contra praescriptiones Instructionis. Ut notum est, quoque in ipsa Instructione saepius quaestio est de exceptionibus ac de indultis, in diversis regionibus existentibus. Non raro extraneis ignotum est, utrum Episcopi indulta habeant necne; quoque post promulgationem Instructionis S. Sedes Episcopis nova indulta concedere potest. Talis modus agendi enim omnino congruit regimini S. Sedis ac Episcoporum, sicut verbis expressis Antonius Bacci in oratione « de eligendo Pontifice », die 25 octobris anno 1958, enuntiavit: « Episcopos, quos ' Spiritus Sanctus posuit... regere Ecclesiam Dei '[38], coram admittat (Summus Pontifex) libentissime. Eorum dubitationibus ac necessitatibus pro viribus consulat; eorum aerumnas consoletur quam maxime; eorumque incepta pro facultate provehat »[39]. Ergo decet, viros privatos de inceptis Episcoporum iudicare maxima prudentia[40].

3. Missa in Cantu in omnibus Directoriis Episcoporum enixe commendatur. Sine ullo dubio, istae paroeciae improbandae sunt, quae diebus dominicis et plerisque festis nullam Missam in cantu celebrant. In numero 27 Instructionis existunt normae pretiosae, quae hodiernam formam cantus

publicitate iuridica statuum perfectionis Ecclesiae: Periodica 47 (1958) 115-165 (propria auctoritate fecimus applicationem principiorum quae tractat hic auctor in p. 115-116).

38 Act. Ap. 20. 28.

39 AAS 50 (1958) 859.

40 Exemplum iudicii imprudentis de aliquo incepto Episcopi inveniri potest in EphLit 65 (1951) 268-270; cfr. La Maison-Dieu 29 (1952) 112-115 et 30 (1952) 161.

gregoriani iterum ipsi actioni liturgicae congruentius adaptant; hodiernae formae enim gregorianae Introitus, Offertorii ac Communionis non correspondent cum structura liturgica harum partium, quae essentia sua sunt processiones cantu sollemnisatae. Etiam secundum naturam rerum *Sanctus* et *Benedictus* continue canendi sunt et per se Celebrans finem cantus exspectare deberet, antequam incipit Canonem, scilicet *Te igitur*.

4. MISSA LECTA CUM FIDELIUM PARTICIPATIONE INDIVIDUALI per se negligenda non est. Praesertim in Missis quotidianis non raro externa formatio communitatis liturgicae impossibilis est. Hoc autem notandum est: haec forma participationis apud fideles supponit non levem culturam religiosam. Est enim notum, quod agere propria industria, interna attentione, meditatione, non est res facilis. Quod attinet ad religiosos et religiosas hoc observandum est: post preces et meditationem statim ante Missam, quoque iis propter debilitatem naturae humanae valde difficilis est participatio individualis, nam mens iam notabiliter fatigata est spiritualibus exercitiis antecedentibus; activitas corporalis externa quoque iis somnum removet et alacritatem excitat.

5. MISSA LECTA CUM FIDELIUM PARTICIPATIONE COMMUNITARIA IN LINGUA VULGARI praesertim Directoriis Episcoporum laudabiliter promovetur. Sicut iam diximus, in hac forma nondum ultima perfectio obtenta est; versatur enim in statu experimentali et se movet inter Missam in Cantu et Missam Lectam, cum spe, ut tandem aliquando oriatur talis forma Missam celebrandi, quae reve-

ra populo simplici conveniens est sed simul dignissimam structuram externam praesefert. Si hodierni modi Missam celebrandi considerantur, perspicuum est, quod distinctiones ac gradus reperiuntur a parte Celebrantis aut ministrorum sacrorum, non a parte populi participationis [41]. In Instructione autem nobis occurrit primum conatum officiale distinctionis modorum Missam celebrandi secundum participationem fidelium. Ut per se patet, popularis modus Missam celebrandi directe obnoxius est difficultatibus gravibus problematum usus linguae vulgaris ac cantus popularis sacri. Laudandum est, quod Instructio linguam vulgarem et cantum popularem officialiter admisit inter modos actuosae participationis Missae.

6. Missa Lecta cum fidelium participatione communitaria in lingua latina est forma, quae structurae Missae Romanae congruit [42]. Si enim Celebrans communitatem salutat ac eius nomine orat, rationabiliter ab iis, qui bene educati sunt et linguam latinam percipiunt, responsa exspectat. Hac in re sic argumentandum est, ut mihi videtur: rationabilitas Missae dialogatae probatione non indiget, nam per se evidens est, communitatem Celebranti respondere; si autem aliquis non respondet, ipse probare debet, cur hoc non agit, et excusare se debet dicendo v. g. « male educatus sum »,

---

41 Vide *Instr.* 3; praeterea Missa Papalis, Missa Pontificalis, etc.

42 Non intelligimus, quae sit significatio vocis *directe* in *Instr.* 14b, nam alterum membrum *indirecte* enuntiatum non est. Eandem difficultatem habemus quod attinet ad vocem *directum* in *Instr.* 93ac.

« surdus, mutus sum », « linguam latinam non percipio », etc.

Quod attinet ad huius modi gradum quartum (*Instr.* 31d), bene observanda est ipsa structura liturgica Introitus, Gradualis, Offertorii, Communionis; sunt enim natura sua cantus et supponunt divisionem chororum ita, ut harum partium recitatio communis cum Celebrante aeque mira est ac earum recitatio a Celebrante solo.

Ut mihi videtur, serviliter servilis observatio quatuor graduum Missae « dialogatae » non requiritur, nam Instructio dicit « Quatuor vero gradus plenioris huius participationis distingui possunt » (*Instr.* 31) et nullibi dicit, hos gradus distincte ac ordine rigoroso observandos esse, exclusis quibuslibet variationibus rationalibus. In non paucis modis « Missae dialogatae » exemplum est Missa in cantu et non responsa ministrantis in Missa lecta; propterea fideles non dicunt Psalmum 42 *Judica* cum confessione (etiam ratio practica hoc non raro suadet), nec *Deo gratias* post Epistolam, nec *Laus tibi Christe* post Evangelium, nec *Suscipiat* post *Orate fratres*. Hac in re, ut mihi videtur, exaggerandum non est sive principio archeologismi sive rigore rubricismi; re bene ac diligenter considerata, suam vim habet principium sanum: variis modis fit, immo bene.

Quoque ad mentem *Instr.* 28-34 est rationabilis permixtio modorum participationis fidelium in Missis lectis: sic v.g. in Missis lectis fideles laudabiliter cantant *Kyrie, Sanctus, Benedictus, Agnus Dei* cantu gregoriano, sacerdoti celebranti

latine respondent, dum communes precationes et cantus lingua vulgari adduntur.

7. Quod attinet ad fidelium participationem Canonis Missae, forma apta nondum existit. Natura sua enim Canon Missae alta voce dicenda aut cantanda esset, ut tota communitas audiat ac interne se cum Prece sacrificali Celebrantis coniungat. Ergo per se infra Canonem omnes, praeter Celebrans, tacere deberent et nullus sonus, praeter vox Celebrantis, admittendus esset. Quia hodie Canon Missae voce submissa dicendus est, existunt multae consuetudines, quas quoque Instructio enumerat. Hae consuetudines perfectae dici non possunt, immo non raro perducunt ad abusus. Principium generale est: *a Consecratione usque ad Pater noster sacrum suadetur silentium* (*Instr.* 14c). Statim oritur nunc quaestio: cur non per totum Canonem sacrum suadeatur silentium? Ratio existit in multis consuetudinibus, quae hodie existunt.

a) *Canon ante Consecrationem*: Quia *Sanctus* et *Benedictus*, si modulis gregorianis decantentur, continue canendi sunt (*Instr.* 27d), infra Canonem ante Consecrationem silentium exclusum est, nisi Celebrans finem huius cantus exspectaret (quod nondum licitum est, ut nobis videtur). In Missis lectis infra Canonem ante Consecrationem silentium etiam non suadetur.

b) *Consecratio*: Dum Consecratio peragitur, omnis cantus cessare debet, et, ubi consuetudo viget, etiam sonus organi et cuiusvis musici instrumenti (*Instr.* 27e). In Missis lectis sonus instrumenti musici infra Consecrationem prohibitus non

est. Praesertim in Italia existit consuetudo organum sonandi infra Consecrationem. Saepissime illa consuetudo perducit ad abusus, nam talis musica organi adhibetur, quae sacra omnino non est, immo sentimentalis ac sensualis.

c) *A Consecratione usque ad Pater noster*: Sicut iam diximus principium generale est: A Consecratione usque ad *Pater noster* sacrum suadetur silentium (*Instr.* 14c). Tamen verbis expressis contra hanc suasionem admittuntur consuetudines: ratione cultus polyphoniae ac musicae modernae, *Benedictus* (quia non modulis gregorianis decantatur) post Consecrationem canendus est (*Instr.* 27d et f); in Missis lectis instrumenta musica sileant a Consecratione usque ad *Pater noster,* ubi consuetudo viget (*Instr.* 29c). Praeterea pastores immediati animarum contra hanc suasionem licite a Consecratione usque ad *Pater noster* commentationes, ac in Missis lectis communes preces et cantus populares, adiungere possunt, si periculum adest, ne silentium sacrum evadat silentium otiosum apud fideles.

d) *Per totum Canonem* in Missa radiophonice diffusa iuvat, ut sacerdos celebrans, praesertim si aliquis Missae commentator desit, verba illa, quae, vi rubricarum *submissa voce* recitanda sunt, *voce tantisper elevata* pronuntiat (*Instr.* 78). Bene notandum est autem, hanc rubricam tantum vigere ratione Missae radiophonice diffusae, et non ratione efficacioris participationis fidelium in ipsa ecclesia praesentium.

Ergo concludendum est, quod Instructio, multarum consuetudinum causa, hac in re procedit ma-

xima cautela, nam difficultates practicae nondum solvi poterant.

8. Commentator prima vice hac Instructione agnoscitur tanquam persona plus minusve officialis in actionibus liturgicis. Ut per se patet, hoc munus maximi momenti est ad actuosam fidelium participationem promovendam, si autem debite exercetur.

9. Diffusiones televisificae ac radiophonicae, si fiunt propter religiosam fidelium participationem actionis liturgicae vel pii exercitii in spatiis circumscriptis, v.g. in nosocomiis, in institutis, sine ullo dubio utiles ac fructuosae dicendae sunt. Si autem fiunt in spatio regionali ac mundiali et unicuique spectatori ac auditori obiciuntur, maxima cautela, prudentia ac circumspectione admittendae sunt. Actio liturgica enim non est manifestatio externa multitudinis quantitative conspicuae ante podium, in quo moderatores se ostendunt magnificentia ac pompa. Actio liturgica neque est fabula scenica aut concentus musicus, quibus auditores in theatro aut in auditorio intersunt delectantes et exspectatione suspensi. Actio liturgica est activitas organica totius communitatis; quia corpus totum agit, unumquodque membrum modo suo activum, cooperans ac particeps est. Liturgia enim auditores passivos et spectatores indifferentes non sinet. Propterea, si aliquis « conscie » diffusioni televisificae vel radiophonicae actionis liturgicae interest, in angustum venit, nam nescit, quomodo se gerere debet; quod ei praesentatur, ex se cooperationem exigit et simul hanc cooperationem facit impossibilem; si aliquis Consecrationem ope ra-

diophoniae vel televisionis videt ac audit, indifferens remanere non vult sed tamen habitum convenientem invenire non potest. Quia liturgia essentialiter differt a manifestatione, a theatro et a concentu musico, non est obiectum valde aptum radiophoniae vel televisioni. Illae diffusiones enim praesertim liturgiae partes accidentales repraesentant, sicuti sunt eius aspectus magnificentiae, eius apparatus externus, eius ars musica; quamobrem ipsam liturgiam secundum eius aspectum essentialem ac supernaturalem plus minusve corrumpunt. Propterea, quo magis pomposa est actio liturgica, eo magis apta est diffusioni televisificae et radiophonicae; quo magis sobria est actio liturgica secundum suam naturam intimam, eo minus congruit diffusioni televisificae et radiophonicae. Salvis his principiis fundamentalibus, ad ultimum iudicium practicum admissionis illarum diffusionum pronuntiandum quoque accedunt aestimationes contingentes gentium ac populorum, nam quoque in rebus sacris huic genti magis placet exhibitio externa, illi genti autem retentio sive « disciplina arcani ». Tandem aliquando semper prae oculis habendum est, quod diffusione televisifica ac radiophonica « sacrum » immergitur in plenitudinem « profani ».

6. Conclusio

Hodie enixe consulendum est, ut in dioecesibus Commissiones de sacra Liturgia, de Musica sacra et de Arte sacra non tantum seorsim, sed quoque una simul conveniant et, collatis consiliis, commu-

nia negotia pertractare et solvere satagant (cfr. *Instr.* 118). *Ne oratorium fiat auditorium,* liturgia primatum habeat, nam omnes artes sacrae, ergo quoque musica, sunt in servitium liturgiae: earum finis principalis est enim cultus divinus vel honor Dei, dum delectatio aesthetica est finis secundarius. Dependentia ab obiecto superiore facilis non est artibus, sicut experientia docet [43].

In hodierna Renascentia liturgiae duplex finis intenditur: *restauratio* genuinae liturgiae romanae secundum principia theologiae ac historiae; *adaptatio* liturgiae necessitatibus hodiernarum circumstantiarum populi Dei, quae hoc saeculo tam radicaliter mutatae sunt. Ergo semper simul habentur et regressus ad fontes et progressus secundum hodiernam vitalitatem Ecclesiae. Nisi haec duo intime connectantur, aut restauratio, etsi abstracte considerata magnifica sit, inutilis alienaque a vitalitate concreta maneat, aut adaptatio fiat interitus vel ruina ipsius liturgiae. Omnia hodierna problemata liturgica possumus reducere ad conatum inveniendi concordiam inter puritatem plenitudinemque liturgiae et necessitates pastorales populi hodierni. Maiores difficultates aspectus liturgicus pastoralis secumfert ita, ut semper periculum adsit, ne restauratio nimis historica et academica maneat, immo mere administrativa, ad detrimentum totius negotii.

In nonnullis regionibus catholicis, ubi vita christiana non leviter prolapsa est, sinceriter ob-

---

43 Superlatio musicae in liturgia apud viros sagaces excitavit contra motum liturgicum hoc effatum: « colere liturgiam est colere musicam ».

servari debet, quod Ecclesia non aut insufficienter socia est vitae culturalis regionalis; hoc non tantum vitae culturali civili damnosum est sed quoque ipsi Ecclesiae. Nam ibi observatur fuga Ecclesiae in praeteritum pulcherrimum, quam non raro comitatur resistentia, sive conscia sive inconscia, contra culturam modernam. Propterea periculum oriri posset, *ne ecclesiae fierent musea ac archivia.* Ecclesia, firmiter innisa in sua traditione magnifica culturae, simul aperta esse debet culturae modernae, ut salubriter doceat sed etiam ut ipsa suam culturam aliquomodo perficiat. Clarissimus Fredericus VAN DER MEER scripsit ad picturam Benozzo Gozzoli (in ecclesia S. Augustini civitatis San Gimignano) de itinere S. AUGUSTINI in civitatem Mediolanensem, hunc textum augustum [44]:

L'homme occidental ne cesse de cheminer;
qu'il connaisse sa route ou qu'il l'ignore,
jamais il ne s'arrête,
et s'il se penche sur son passé,
c'est qu'il sait que fort peu de chose
commence et s'achève en lui;
jamais le monde n'a relevé pour lui de l'absurde
et sans cesse il se dépasse,
non pas en direction d'un lendemain plus facile,
mais meilleur.

H. SCHMIDT S. J.

---

[44] F. VAN DER MEER, *Atlas de la civilisation occidentale.* Paris-Bruxelles, Elsevier, 1952.

19 - PONTIFICIA COMMISSIO
AD REDIGENDUM CODICEM JURIS CANONICI ORIENTALIS

Interpretatio authentica can. 215, § 2 e *Litteris Apostolicis Motu proprio datis « Cleri sanctitati »* (*II mense iunio anno MDCCCCLVII*).

(AAS L [21 aug. 1958] p. 550)

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM

D. An, vi can. 215 § 2 « Licet charactere episcopali careant (Legati), praecedunt tamen omnibus Hierarchis, qui non sint cardinalitia dignitate insigniti », iidem Legati pracedant Patriarchis.

R. *Negative,* cum nomine *Hierarchae* non veniat Patriarcha, ad normam Litterarum Apostolicarum « Postquam Apostolicis Litteris » diei 9 Februarii anni 1952, can. 306 §§ 2, 4.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII dignatus est specialem normam ab hac Pontificia Commissione propositam, inserendam in can. 215 § 2, approbare atque ut eadem norma in exsecutionem illico deducatur iubere.

Norma autem haec est: « Licet charactere episcopali careant, praecedunt tamen omnibus Hierarchis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti, aut patriarchali, dummodo Patriarcha in proprio territorio degat et caeremoniis vel officiis proprii ritus praesit; sed hoc quoque in casu, Legati Pa-

triarchis praecedunt si explicitum mandatum cum praecedentia pro particularibus actibus iis a Summo Pontifice commissum fuerit ».

Datum Roma, die 23, m. Iunio, anno 1958.

De speciali mandato Sanctissimi

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN, *Praeses*

L. ✠ S.

A. Coussa, *a Secretis*

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

R. P. Bender Ludovicus O. P., Prof. Iur. Can. in A. P. I. « Angelicum ».

R. P. Bertrams Wilhelmus S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. Bidagor Raymundus S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. Furlong Franciscus S. I., Prof Theol. Mor. in P. U. Gregoriana.

R. P. Hürth Franciscus S. I., Prof. Theol. mor. in P. U. Gregoriana.

R. D. Janini Josephus, Prof. Theol. Mor. in Semin. Interdioeces. Valentino.

R. P. Kuiters Raphael O. E. S. A., Prof. Iur. Can. in Collegio Neomagensi O. E. S. A.

R. P. Robleda Olisius S. I., Prof. Inst. Iur. Rom. in P. U. Gregoriana.

R. P. Schmidt Hermannus S. I., Prof. Inst. Lit. in P. U. Gregoriana.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

INDEX MONUMENTORUM

INDEX CANONUM

INDEX ALPHABETICUS RERUM